DE SCULPTURA

QUATENUS ANIMI SENSUS

DESCRIBERE POSSIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

L. ROSENTHAL

Scholæ normalis olim alumnus

DIVIONE

APUD FELICEM REY

26, VIA DICTA DE LIBERTATE, 26

M DCD

DE SCULPTURA

QUATENUS ANIMI SENSUS DESCRIBERE POSSIT

DE SCULPTURA

QUATENUS ANIMI SENSUS

DESCRIBERE POSSIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

L. ROSENTHAL

Scholæ normalis olim alumnus

DIVIONE

APUD FELICEM REY

26, VIA DICTA DE LIBERTATE, 26

—

M DCD

DILECTISSIMO FRATRI

L. R.

Nuper, Londinium cum circumirem abbatiamque Westminster perlustrarem, constiti cum multa admiratione ante monumenta quædam quibus inscriptum erat gallici sculptoris cujusdam nomen, mihi incogniti. Nomen Roubillac (1), vir sæculo christianæ ætatis duodevicesimo — quod quidem ipsa operum species satis declarabat — floruit. Fesso mihi et prope jam fastidienti ut qui Londinii, præcipueque in basilica Sancto Paulo dicata, tot statuas cum frigidiore tum communi habitu vidissem, singulari voluptati fuit opera popularis mei et invenire et lætis oculis conspicere.

In illis mihi apparebant miræ solertiæ manus, unica inveniendi copia, summa audacia, tantus flagrantis animi impetus ut nullum cum eo in hoc genere æquare possem. Roubillac libenter ἀλληγορίας finxisse videbam. Modo Tempus a Fama victum, modo Mortem Amoris victricem expresserat. Quæ quidem argumenta parum gravis tractavit, ut facile dicas eum deos parum sanctos habuisse a se ipso creatos; in illos autem vitam certe infudit, nullis nec ingenii nec artificii facultatibus deficientibus quibus vivi ducerentur de marmore vultus. Materiam diligentis-

---

(1) Vitam Roubillac scripsere Walpole, *Anecdots of Painting in England*, 1849, et Allan Cunningham *The lives of the most eminent british painters, scultors*, etc. Londinii, 1830. — Vide quoque L. Rosenthal, *Un sculpteur français en Angleterre au* XVIII[e] *siècle, Roubillac*, in *Revue d'histoire moderne et contemporaine*, mars-avril 1900.

sime suffodit : toros, ossa, barbam, capillos summa cum cura et amore, ut ita dicam, fervido expressit. Vestimentorum sinus modo leviter involitant humeris, modo fluentia molliter circum corpora volvuntur, modo etiam auris modice inflata attolluntur, marmore quasi ductili facto. Roubillac enim credideris proprias artis difficultates non solum non curasse, sed etiam ultro subiisse ; spectantesque illi placuit attonitos facere felici audaciæ suæ eventu.

Inter ea quæ finxit monumenta, duo ante cetera miratione digna arbitror : unum, symplegma ; alterum autem, crustam. Crusta, quam in poetis dedicato abbatiæ sinu videre est, effigiem ostendit Haendel musici. Ille tabulæ incumbit codicibus oneratæ ; organum illi prope est ; intentus autem manet, vultu supino, erectis ad cœlum oculis, dum angelus, sedens in nube, fides movet, carmenque illi dictat divinum.

Audacis quidem fuit talia ex marmore effingere, audacius vero mihi symplegma videtur, memoriæ cujusdam Nightingale matronæ dicatum (1).

Sculptor maritum conjugis corpus exanimum sustinentem expressit ; Mors autem, de tumulo exsurgens, telum matronæ intentat minitans, jamjam e manibus frustra obstantis viri illam ereptura. Exquisito cum lepore feminam deficientem, æstuoso cum impetu lacertum vehementi motū Mortis minas arcentem cælavit Roubillac, ut in eo peccasse dicas quod theatrali modo usus sit. At Mortis effigies in se oculos omnium rapit. Larva est seminuda, funebri tunica partim obvoluta, cujus singulæ vertebræ ad unam, ossa omnia curiose assimulata sunt, quasi ludus Roubillac fuisset marmor transformare.

His visis vehementissime permotus, in Galliam rursus cum revertissem, scire volui quis ille fuisset qui, cum

---

(1) Anno 1761 factum.

dignissimus et felicissimo ingenio et exquisitissima arte inveniretur quem omnes non solum cognoscerent, sed etiam summa admiratione colerent, tamen omnino populares suos fugeret.

Didici, nec miratus sum, Roubillac Lugduni natum, Guillelmi Coustou discipulum, secundam sculpturæ palmam, Romana quæ dicitur, apud academiam Artium anno Christi 1730 tulisse. Ille fortunas suas cum Londinii constituisset, fama apud Britannos præclara vivus floruit, optimique artificis suæ ætatis laudem assecutus est. Memoria ejus nondum obsoleta est : etiam nunc illum sculpturæ Britannicæ principem et quasi auctorem scriptores arbitrantur (1). Cujus rei argumentum hoc insuper posuerim quod in tabulis in quibus varii abbatiæ Westminster adspectus redditi sunt, sola Roubillac opera delecta sunt quæ singillatim exscripta referrentur (2) ; quorum et imagines, lucis opera expressas, apud bibliopolas emere est.

Mihi autem haud ingratum fuit, quæ de Roubillac scripta sunt perlegenti, videre idem aliis quod et mihi accidisse, cum mirarer me non unicam et constantem sententiam, nec judicium simplex et solidum de eo ferre, verum diversa inter se et quasi contraria sentire.

Omnes etenim scriptores (3) Roubillac miro quidem ingenio et raris virtutibus præditum, sæpe autem absurda excogitasse consentiunt : monumentum ab illo memoriæ matronæ Nigthingale factum clarissimum atque apud eos, ut ipsi fatentur, celebratissimum, quam a ratione

---

(1) Vide Edmund Gosse, *An Essay on English sculpture from Roubiliac to Flaxman*, in Smith, *Nollekens and his Times*, Londinii, 1895.

(2) *The Empire. Westminster abbey*, sixteen views. Londinii.

(3) Flaxman. *An adress of the death of Thomas Banks* (in libro Lectures, 1838, p. 289). — Dallaway. *Les Beaux-Arts en Angleterre*, II, p. 156 (ex Millin translatione). — Am. Pichot, *Voyage historique et littéraire en Angleterre et en Ecosse*, 1825, p. 82 et 113.

aversissimum judicant, et operi crimini dant quod falsis artibus ac lenociniis gloriam improbam adeptum sit. Miræ quidem sententiæ! illis vero persimiles quæ et ego subsenseram, quippe qui illa monumenta mirarer quidem et simul odiosa putarem, ambiguus probaremne, ad summum, an vituperarem.

Quæ inter se pugnantia mecum reputavi. Illum modico ingenio præditum dicere non poteram qui, unanimo populi consensu, mirabilis fuerat, duoque per sæcula famam suam obtinuerat, omnesque coegerat, vel inimicissimos, ut Flaxman, ut de se bene existimarent. Rursus autem mihi non aperte constabant manifestæ rectæque sententiæ quibus damnabant illi damnaveramque et ipse illud fingendi genus.

Mihi igitur ista recogitanti tandem in mentem venit, sententias illas vanas ac male probatas esse, ut consilium inde hoc conceptum haberem, perquirere quoad sculptori vitam animique sensus exprimere fas sit. Quæ quidem opusculi hujus est ratio.

Ut vulgo existimatur, sculptor corporum formam seu pulchritudinem reddit; pictoris autem officium animi sensus exprimere.

Corporis pulchritudo ex lineamentis et formis constat quas tu geometricas dicere possis. Hæc autem et in rebus insunt quæ sensu et animo carent, qualia sunt saxa, et ligna, et metalla. Immotam hanc atque inertem pulchritudinem reddere sculptoris est. Rursus corporis motus et gestus et agitatio foras proferunt ac significant ea quæcumque in animo sunt. Hos exprimere motus sculptor si voluerit, quos non sui juris habet, artis infirmitatem arguet.

Ab omnibus laudabitur qui formam politissima arte, omnibus numeris absolutam perfecerit; caveat vero ne motibus animi effingendis laboret, ac cælum caute intra

proprios artis fines contineat. Ille qui ea quæ in animo fiunt effingere conatur, linearum aut spernit aut corrumpit concinnitates : nam si et pulchritudinem et animi motus pariter ostendere vult, errat profecto; multo magis autem qui pulchritudinis curam animorum descriptioni subjicit.

Exemplorum causa : illi qui Melinam aut Capitolinam Venerem sculpserunt, de arte sua recte sentiebant cum nihil nisi pulchram immoto statu feminam efficere sibi proposuerint; qui Laocoonta, falso, cum corpora simul dolore commota nec minus concinna effingere aggressi sint; illi denique, qui basilicas medii Ævi statuis ornaverunt, toto cælo erravere, quippe quibus nihil aliud ante oculos fuerit nisi concepta aut sensus animi, quemadmodum Theologia, Nequitia, Prudentia, Fides, Luxuria, neglecta linea.

Simplex profecto et secura regula, qua censori male animato licet pleraque sculptorum opera condemnare.

Ejusmodi judicii originem requirere si vellem, reperirem, sine dubio, in illo septimo decimo sæculo quo Aristotelis quæ dicuntur regulæ tanta auctoritate viguerunt. Ne tamen inquisitionem historicam tentem, qua de proposito declinarem, mihi concedatur, illas a Winckelmann præcipue explicatas fuisse sententias memorare, quo auctore usque ad nostra tempora, imperiosæ legis more, in omnium scripta aut opera dominatæ sunt qui sculpserunt vel de arte sculpendi scripsere.

Winckelmann artis hellenicæ opera, suo tempore cognita, spectavit et ex illorum consideratione certam sculpendi rationem concepit ac vulgavit.

Pulchritudinem absolutam quam assequi sculptor conatur, qualis aquæ gutta puram ac simplicem, omnisque intentionis mentis expertem esse volebat (1). Mente enim, ut

---

(1) Winckelmann, *Artis Historia*, IV, III, 3.

scribit, « lineamenta oris et dispositio corporis mutantur, itaque illa vitiantur formæ in quibus pulchritudo sedet ».

Alio in loco, hæc addit : « Tranquillitas est sola res qua artifex artem perfectam et absolutam assequi possit (1). » Scribit et insuper : « Artifici non licet animi sensus ultra certum modum exprimere nisi cum periculo pulchritudinem corrumpendi (2). »

Animos Gallorum Caylus præparaverat ad has sententias recipiendas (3), quæ Quatremère de Quincy libris diffusæ sunt (4). Mira auctoritate octavo decimo sæculo exeunte, et ineunte nono decimo valuerunt ; sculptoribus et pictoribus ipsis, ut certa norma, injunctæ sunt (5). David pictor illas suscepit. Per totam Europam, nullo fere obstante, vigebant.

Viri liberrimi, qui in nullius verba jurabant, eis nulla dubitatione parebant. Hegel ipse cum de Artis Philosophia scriberet (6) Winckelmann obsecutus est quem laudibus iteratis effert (7). Cujus doctrina præoccupatus, cum

---

(1) Winckelmann, *Artis Historia*, IV, III, 4.

(2) Id., *ibid.*, IV, III, 17.

(3) Rocheblave, *Essai sur le comte de Caylus* passim, et præcipue, II, III, p. 204. — Benoit, *L'Art français sous la Révolution et l'Empire*, I, I, III. — Bertrand, *La Fin du classicisme et le retour à l'antique*, VII.

(4) *Considérations sur les arts du dessin en France*, 1791. — *Essai sur la nature, le but et les moyens de l'imitation dans les Beaux-Arts*, 1833. — *Essai sur l'idéal dans ses applications pratiques aux œuvres des arts du dessin*, 1805. — *Considérations morales sur la destination des ouvrages de l'art*. Qui tamen in aliis scriptis novas de arte sententias protulit, ut in *Le Jupiter Olympien*.

(5) Benoit, *op. cit.*, II, III, II. — André Michel, in *Gazette des Beaux-Arts*, 1899, 2e sem., p. 56 et sq.

(6) *Vorlesungen über die Æsthetik*, in *Hegel's Werke*, I, X, Berolini, 1842.

(7) *Op. cit.*, III, III. *Die Sculptur*, II, I, p. 381 : « Winckelmann, welcher mit ebensoviel Begeisterung seiner reproduktiven Anschauung als mit Verstand und Besonnenheit das unbestimmte Gerede vom Ideal der Griechischen Schönheit verbannte. »

nihilominus propria de philosophia cogitata exponere cuperet, plasticen aliam, aliam artem commenticiam esse voluit : plasticæ pulchritudinem, commenticiis artibus, inter quas pictura adnumerata, animi sensus depingere munere proprio impertivit; eaque ratione veteres plus in plastica, recentiores, christianismi gratia mutatos, plus in pictura valere dixit.

Ex illo tempore, multi contra istas sententias adversati sunt (1); quæ tamen nec defecerunt et apud plurimos etiamnunc vigent (2). Carolus Blanc, cum *Grammaticam artium linearium* scriberet, eas explicuit, diffuditque (3). Eas nos penitus in animo impressas habere testes multorum libri et nuper et hodie editi. Poetæ « Parnassii » dicti qui se immota mente res aut animos describere professi sunt, illas suscepere. Sully-Prudhomme, Melinam Venerem cum in uno carminum laudaret, dixit (4) :

> Dans les lignes du marbre où plus rien ne subsiste
> De l'éphémère éclat des modèles de chair,
> Le ciseau du sculpteur, incorruptible artiste,
> En isolant le Beau, nous le rend chaste et clair.

Quæ antea et Baudelaire — simili aut non ita dispari sententia, graviore vero ac firmiore stylo — expresserat his quæ Pulchritudo vaticinatur (5) :

---

(1) Inter quos primus Emericus Duval, in *Recherches sur l'art statuaire.*

(2) « Winckelmann, dont l'autorité en cette matière est demeurée si grande, malgré les récents progrès de la science » scribit C. Lévêque, *Science du Beau*, II, III (t. II, p. 71, sec. ed.).

(3) « La modération du mouvement et la sobriété du geste sont la première loi de la statuaire », *De sculptura,* VI. — « L'art statuaire poursuit avant tout la beauté. » *De pictura*, X, etc...

(4) Sully-Prudhomme, LE PRISME, *Prélude*, Devant la Vénus de Milo.

(5) Baudelaire, FLEURS DU MAL, *Spleen et idéal*, XVIII. La Beauté.

Je trône dans l'azur comme un sphinx incompris ;
J'unis un cœur de neige à la blancheur des cygnes ;
Je hais le mouvement qui déplace les lignes ;
Et jamais je ne pleure et jamais je ne ris.

Metiri sculptores ex illis nobis solitum. Opera sculptorum cum spectamus, ad illa nec libero nec integro animo advenimus; illis nec capimur, nec capi volumus; ne moveamur visis repugnamus. Nihil enim nobis aliud curæ, nisi agnoscere num modum excesserint quem nulla causa et levissimo mentis arbitrio artifici imposuimus.

Ex illa lege, coloratas statuas improbamus; in anaglyptis negamus poni posse plures personarum ordines inter se aliquo intervallo distantes ac recedentes (quod latini *abscedentia* uno verbo dixerunt); fastidiose despicimus ac generatim rejicimus artifices, ad unum, qui certis ætatibus, ut exemplo utamur, tredecimo vel octavo decimo sæculo floruerunt ; gentibus universis, Seribus, Japonensibus, ne plures nominemus, artem defuisse asseveramus. Angustiore disciplina adstricti, paucissimis admirationem nostram concedimus, exclusis permultis quæ majore aut æqua certe laude digna essent.

De his quid sentiendum nunc explicabitur.

Benigne lector, animum verbis meis adverte patientem. Licet mihi necesse sit multa monumenta quæ tu sæpe miratus sis, resque admodum notas commemorare, mihi crimini ne dederis te nihil de illis docuisse. Aliud mihi, aliud iis qui antiquitatis amatores et exquisitores feruntur, consilium. Scientiam tuam augere mihi in animo non est; illis autem quæ tu novisti innixus, *de philosophia artis agere cupio*, contentus ea immutasse quæ de plastica sentias.

CAPUT PRIMUM

DE SENSUUM DESCRIPTIONE CUM PULCHRITUDINE COMPARATA

Inter omnes qui de arte scripserunt, Hegel plasticæ arti fines constituit quam maxime exiguos. Sculptori hoc solum dari voluit « liberam vitalitatem » effingere (1).

Sculptoris est, ut dictitabat, perfecte vitam divinam exprimere, liberam, augustam, placidam, ab omni perturbatione immunem (2). Addebat formam humanam sculptorem concipere generatim, quidquid unius sit omittentem (3). Ita satis habere sculptor debebat affectus ex-

(1) « Besonders hat sich die Bewunderung zu der gröszten Höhe durch die freie Lebendigkeit gesteigert, durch die gänzliche Durchdringung und Ueberwältigung des Natürlichen und Materiellen, in welcher hier der Künstler den Marmor erweicht, belebt und mit einer Seele begabt hat. » Hegel, op. cit., Skulptur, II, I, p. 383.

(2) « Die Skulptur hat nach dieser Seite hin das göttliche als solches darzustellen in seiner unendlichen Ruhe und Erhabenheit, zeitlos, bewegungslos, ohne schlechthin subjektive Persönlichkeit, und Zwiespalt der Handlung oder Situation. » Id, ibid., I, p. 363.

(3) Die Gestalt der Skulptur muss durchweg aus dem reinen Geiste der von aller Zufälligkeit der geistigen Subjektivität und Körperform abstrahirenden denkenden Einbildungskraft hervorgehen, ohne subjektive Vorliebe für Eigenthumlichkeiten, ohne die Empfindung, Lust, Mannigfaltigkeit der Regungen und Witzigkeit der Einfälle. Denn was dem Künstler zu Gebote steht, ist, wie wir sahen, für seine höchsten Gebilde nur die Körperlichkeit der geistigen in den selbst nur allgemeinen Formen des Baues und Organismus der menschlichen Gestalt. » Id., *op. cit.*, Skulptur, I, 3, p. 376.

pertem vel sensus certi animum depingere (1) quasi involutum corpore (2).

Ad eas sententias non deductus fuit Hegel artis operum contemplatione. Artis doctrina doctrinam suam philosophicam confirmare voluit. Artes in ordinem quemdam disposuit, ut illa ratione progredientem animum ostenderet qui a vita universali se paulatim abducit propriamque speciem induit.

Sculpturam ideo, quam artem proprie classicam dixit (3), primum illius processus et immutationis gradum commemorare voluit.

Philosophorum est Hegel doctrinam probare vel infirmare, eorum vero qui de arte scripserunt nullus non illius de Plastica sententias respuit (4). Sculptori quidem fines hi constituunt, sed non adeo angustos, quippe qui non doctrinæ cujuspiam jussa et necessitates, sed judicii sinceri decreta sequantur. Materia plerique, quorum nomina mox videbis, ut Carolus Lévêque, non obrui sculptorem credunt, animi autem sensus haud facile exprimere (5). Duas illi ob causas sculptorem a sensuum descriptione revocant : primum quod pulchritudo et sensuum descriptio inter se adversa sint, deinde quod non sculptori sint eadem quæ pictori commoda.

---

(1) « Darstellung der nicht empfindenden Subjektivität und des in sich impartikularisten Gemüths. » I, *Op. cit.*, ibid., Einleitung, p. 359.

(2) « Da sie den in die Körperlichkeit eingesenkten Geist vor die Anschauung bringt, der sich in der ganzen Gestalt sichtbar zeigen muss. » Id., ibid., p. 360.

(3) « ... So dass sich die Plastik der Skulptur als die eigentliche Kunst des klassischen Ideals ergeben wird ». Id., *Op. cit.*, Skulptur, I, p. 365.

(4) Carolus Lévêque, *La Science du Beau,* IV, VIII. *Théorie de Hegel.*

(5) « Sans être matérialiste, la sculpture est de beaucoup moins apte que la peinture à rendre les états, les actes et les passions de l'âme. » C. Lévêque, *op. cit.,* III, IV.

Quæ ordine pensare volumus, primumque sermo erit de sensuum descriptione cum pulchritudine comparata.

Ut ait Carolus Lévêque, sculptori inviolata lege impositum est pulchritudinem formarum retinere (1). Lineamentorum autem concinnitas prohibet affectus vehementes describi (2). Necessitate itaque sensuum descriptio iis finibus terminatur intra quos pulchritudinem non lædat (3).

Ex illis, Carolus Blanc censuit sculptori opportunum esse tranquille acta depingere (4). Vis ea, quam intelligentem animum nominamus, manifesta fieri debet ordine servato, omni motu remoto quo corpus deforme videretur (5). Illa demum perfecta sculptura est quæ, ut dixit Taine, oculos ostendit pupilla carentes, caput sensus expers, hominesque tranquillos vel aliquid vanum agentes (6).

Contra hæc qui repugnaverunt, admodum pauci quidem, atque ipsi profecto extra modum prolapsi, cum corpus

---

(1) C. Lévêque, *La Science du Beau*, III, I. « La nécessité de respecter absolument la beauté de la forme physique. »

(2) C. Lévêque, *Le Spiritualisme dans l'art*, 1864, Pars prior, p. 58. « L'harmonie nécessaire des lignes interdit l'expression des mouvements vifs et des passions véhémentes. »

(3) C. Lévêque, *La Science du Beau*, III, III « [le] principe fondamental de cet art qui est d'exprimer l'âme, mais de ne jamais sacrifier la beauté physique à l'expression et d'arrêter celle-ci au moment précis où elle menace celle-là. »

(4) C. Blanc, *Grammaire des arts du dessin*. Sculpture, VI. « La sculpture a tout avantage à représenter de préférence des actions tranquilles et simples, à chercher plutôt des attitudes que des mouvements. »

(5) C. Lévêque, *La Science du Beau*, III, III. « Cette force intelligente et sensible, que nous appelons l'âme, ne doit se manifester qu'avec l'ordre, c'est-à-dire dans les situations où son trouble intérieur ne va pas jusqu'à déformer le corps. »

(6) Taine, *Philosophie de l'art en Grèce*, II, V. « La statuaire parfaite qui laisse les yeux sans prunelle et la tête sans expression, qui préfère les personnages tranquilles ou occupés à une action insignifiante. »

præ animo pro nihilo duxerint, ut fecit Véron in opere *Supériorité des arts modernes sur les arts anciens* (1), facultatemve sculptori tribuerint, ut Reymond, leges pulchritudinis formarum rumpendi, sensuum gratia (2).

Neutram nos sequemur doctrinam ; ut Sully-Prudhomme, a quo sæpe aliis in rebus discrepamus, credimus « sensuum descriptionem et vehementissimorum non solum non pulchritudinem lædere sed etiam subactam augere (3) ».

Servata antiqua scientia, sculptorem volumus non incuriosum animi fieri (4).

Quod jam demonstrare conabimur.

Oportet primum, caliginem ut vitemus, nomina definitione explicare de quibus disputare volumus : sensuum descriptionem scilicet, pulchritudinemque. Ne tamen timueris ne arduam ad philosophiam aggrediar ; nihil nisi definitione lucidus esse studeo, nedum de pulchritudine ipsa altiora et subtilia perquirere in animo habeam.

Pulchritudinem definitione explicare si vis, ita tamen ut in illa nullam sensuum descriptionem includas, eam

---

(1) Véron, *op. cit.*, 1862, III, I. « Dans l'art comme dans la morale, le corps est inférieur à l'âme » (p. 397).

(2) Reymond, *Histoire de la sculpture florentine*, t. II. « On peut violer les lois de la beauté physique en vue d'étudier le monde moral » (p. 18) cfr. et p. 153.

(3) Sully-Prudhomme, *L'Expression dans les Beaux-Arts*, III, V. « On se condamnerait à méconnaître le génie de ces grands artistes (*a*), si l'on n'admettait pas que l'expression de la vie morale, de la passion souvent la plus intense, de la pensée la plus puissante, non seulement est compatible avec la pure beauté plastique, mais y ajoute même en l'asservissant « (p. 304).

(4) M. Hamel, *Salon de* 1889, in *Gazette des Beaux-Arts*, 1889, 2e sem. « Sans rien perdre des enseignements du passé, elle peut trouver dans l'étude de l'âme, de ses aspirations, de ses passions, de ses vices, un inépuisable champ d'observation » (p. 25).

(*a*) Lucca della Robbia, Ghiberti, Donatello, Michel-Angelo

dicas necesse est positam esse in concentu lineamentorum seu formarum e quibus existunt ea quæ sub oculos cadunt.

Pulchritudinem igitur geometricam dicere licet.

Rursus sensuum descriptionem significationem vitæ esse dicimus, ita ut, mortua nisi depingas, tibi sensus exprimendi, ratione qualibet, necessitas sit : hominem enim sine sensu recte dicere nullo modo, nisi mortuum, potes.

His definitionibus contenti, si sculptori laudi tribuimus quod pulchritudinem effinxerit, illum numerosa opera fecisse significamus ; contra autem, si illi gratulamur quod sensus valide et apte describat, illum vividum effinxisse signum dicimus.

Primo, manifestum ex re ipsa est, pulcherrima signa parum vivida esse posse ; ut si quis Palladem ponere velit illamque ad unguem effingat, eam autem mentis acie præclaram non ostendat. Sic Houdon *Dianam* (1) cum sculpsit, feminam aliquam potius quam Deam effinxit, pulcherrimum nihilominus omnium consensu simulacrum.

Rursus, vivida signa pulchritudine privata innumera esse scimus : cujus rei exemplo omnia fere Medii Ævi signa proferre est. Insipientes Virgines quas ante Basilicam Argentoratensem videmus, non formosæ quidem, vividas attamen quis neget ?

Hoc insuper addere necesse est : cum opus idem et pulchrum et vividum sit, non pulchrum quia vividum, nec vividum quia pulchrum esse. Etenim pulchritudine oculus præcipue delectatur, sensuum descriptione mens gaudet. Qui statuas mirantur, ad pulchritudinem percipiendam alii, alii potius ad sensuum descriptionem compositi sunt.

Si pulchritudo et sensuum descriptio dissimiles inter se sunt, num inter se pugnent rogare possumus : nam si

---

(1) In museo Louvre.

forte ita res se habet, sensuum descriptionem ultro repudiabimus. Prima enim lex sculptoris pulchritudinem servare, sculptorque, ut scripsit optime Sully-Prudhomme, sensuum descriptionem valde despiceret, si inde pulchritudini nihil addi deberet (1).

His respondere breviter conemur.

Pulchritudo et sensuum descriptio pugnantne inter se annon?

Primo perspicuum est sensuum descriptioni pulchritudinem non obstare. Non est cur opus quodvis oculis acceptum ideo mentem non moveat : opera nominari possunt multa quæ propter sensuum descriptionem celebratissima et pulcherrima sunt. Laocoonta pulchrum esse quis neget? Caryatides Puget pulchræ sunt. Quin etiam virum exquisiti judicii sensuum descriptio pulchritudine desiderata non movebit. Illi rudis imperfectaque adumbratio, etiamsi pollice fervido vitam addiderit artifex, nunquam in studio erit.

Quæ cum ita sint, num pulchritudini sensuum descriptio obstet quærendum est. Obstare illam multis apparet. Ut plerique dicunt : — artifex, dum sensuum descriptionem sequitur, pulchritudinis curam omittit ; — accedit illud : ad hoc vel invitus adducitur ut formas distorqueat ; ut sensus exprimatur, fugit pulchritudo ; — quæ enim lineamenta et motus et vitam exprimunt, non sunt pulchra. Os præcipue vehementibus turpiter deformatur affectibus. Quas ob causas, sculptor necesse est sensuum descriptioni diffidat.

---

(1) Sully-Prudhomme, *L'Expression dans les Beaux-Arts*, II, XII, p. 170 : « Un sculpteur ne considèrera l'expression qu'au point de vue des belles formes qu'elle motive ; il reconnaît, en présence d'un marbre de Michel Ange, qu'elle en peut motiver d'admirables, mais il ne ferait aucun cas de l'expression, si la pure beauté plastique n'en devait pas bénéficier. » — Id., ibid., III, V, p. 314, hæc addit : « L'expression objective du modèle est non avenue pour le vrai statuaire si elle lui semble incompatible avec le beau plastique. »

De tribus illis propositis disputare singillatim volumus.

I° Quod primum nobis occurrit refellere haud difficile est : artificis mediocris est peccare ; qui vere ad artem ingenio et doctrina compositus est, is extra periculum mendorum est, nec quia et sensuum descriptionem curat, ideo parum studiosus marmor cælo tractabit ; pulchritudinem absolutam assequi etiamsi non posset — quod quidem in controversiam veniet — facile tamen deformitates aut parum gratas inconcinnitates vitaret ; nec si formam neglexerit, ideo descriptionem sensuum magis curabit.

II° Fit quidem ut sculptor, sensum aliquem effingere dum conatur, formam torqueat ; illum vero errasse, non disciplinam inexorabilem tulisse crede. Sensus effingere, non gryllos facere, propositum illi est. Non id persequitur quod falsum atque inane ac mente conceptum sit : quæ in ore Natura ipsa signa posuit iræ, amoris, odii, metus, invidiæ, superbiæ, ne plura adnumerem, ea imitari cupit. Quod si peritus est nec pravitate quadam judicii laborat, veritatem secutus et recte sensus effinget : ita ut eum pessimam sensuum descriptionem effinxisse sine dubio dicere possis, qui formam aut lineam corporis quamlibet corruperit. In moribus delinquit qui in pulchritudine delinquit. Quæ Medii Ævi sculptores effinxerunt signa, cum haud plane emendata nec omnino ad normam accommodata sint, minus vivida videntur, ea vero vivida potissimum, quæ oculos quam minime lædant.

Hoc ad ultimum notandum. Optimus si artifex pulchritudinem antea assecutus, forte et sensuum descriptionem aggressus erit, num scientia sua spoliabitur?

III° Tertia enuntiatio consideratius atque accuratius excutienda. Lineamenta vivida dicunt pulchritudine orba esse, præcipue os sensuum motibus corrumpi.

Manifesto apparet illos condemnari sensus qui motibus erumpant vehementioribus aut quibus vultus nervi extra suetam speciem tendantur. Motum temperare, jactatione

parca uti prima, ut senserunt Carolus Lévêque (1), Carolus Blanc (2), H. Jouin (3), ne plures nominem, lex esto. Ipse Véron cum librum scriberet ad artem ab falsis legibus liberandam, motum vehementissimum sculptori negari voluit (4).

Ideo duæ res nobis quærendæ : primum, num pulchritudini contrarii sint motus nimii ; secundo num vehementibus sensibus vehementes motus respondeant ita ut sensus et motus quasi pariles ac societate necessaria conjuncti existimari possint.

Ante omnia falsum est nulla nisi immota pulchra esse corpora : immoti corporis lineamenta symmetriam nimiam retinent, ita ut artifex, etiam si immobilem quemdam Deum aut hominem imitari velit, tamen motu quodam levi a symmetria discedat.

Græci, quos invocare ideo magis oportet quod illis testibus Winckelmann et discipuli immobilitatem prædicare voluerunt, immota signa illo, nec alio, tempore effinxerunt quo commota effingere nondum didicerant. Quæ de Dædalo ipsi narrabant satis ostendunt quanti illis fuerit motus descriptionem sculpturæ adhibitam esse. Nec immerito. Nobis enim videre licet, Winckelmann non licuit,

---

(1) C. Lévêque, *La Science du Beau*, III, iii. « En sculpture, là où la beauté serait compromise, perdue, là surtout où la laideur serait inévitable, l'expression doit s'arrêter, reculer même, s'il le faut. »

(2) C. Blanc, *Grammaire des Arts du Dessin*, Sculpture, vi : « La modération du mouvement et la sobriété du geste sont la première loi de la statuaire. »

(3) Jouin, *L'Esthétique du sculpteur*, 1888, VIII, xvi. « Le mouvement modelé doit être calme. L'agitation violente serait ridicule dans l'image plastique » (p. 152).

(4) Eug. Véron, *La Supériorité des arts modernes sur les arts anciens*, III, ii. « A tort ou à raison, nous lui interdisons les mouvements emportés, les contractions violentes que nous admettons dans la peinture » (p. 426). — Marescalcum quidem Ney a Rude factum ridiculum habet ! Quem nos autem maxima admiratione dignum putamus.

ex illis quæ nostris temporibus antiquitatis investigatores e terræ cavernis evellerunt, quomodo et in motu (1) imitando et in pulchritudine assequenda gradu eodem progressi sint (2).

Cum ξόανα faber rudis sculperet, pulchritudinem pariter et motum creare nesciebat; longos per errores Dædalei quasi prona ad motum corpora sculpserunt. Jam in illis cum vitæ vestigium tum pulchritudinis videre est. Brachia quæ a corpore sejuncta in flexum curvantur, femur quod jam non femori inhærescit, et vividiora et lineamentis minus rigidis jucundiora sunt.

In Orchomeneo (3) seu in Teneano (4) Apolline haud facile dicas utrum animandi materiam an fingendi initia magis mirari debeamus.

Pari imperitia artifex extrema corporum sicca, et impeditos motus fecit : eodem velamento et pulchritudo et vita obteguntur.

Longum ævi spatium præterire si licet, eo tempore quo in Græcia perfecta ars floruit, quanta laus prosecuta Praxitelem qui, felici artificio, immotorum signorum statum novum atque inauditum excogitaverit. Nonne illi vera via fuit ad pulchritudinem assequendam, statum corporis remisse quiescentis atque inclinati invenisse?

Apollo, dum lacertum observat (5) intentusque scan-

---

(1) « Motus quem ῥυθμὸν nominabant » (Diod. Sicul., I, 97).

(2) « L'élève était-il doué de quelque initiative ? avait-il l'ambition de faire œuvre personnelle ? Sans répudier l'enseignement de son maître, il élargissait prudemment la voie étroite où celui-ci l'avait engagé. Il imaginait un mouvement plus libre, une attitude plus compliquée et introduisait un peu de vie dans le style conventionnel qu'il avait maintes fois reproduit. » Collignon, *Les Fouilles de l'Acropole,* in *Revue des Deux-Mondes*.

(3) In Museo Centrali Athenis.

(4) In Glyptothèque Monacensi.

(5) In Museo Louvre.

dentem spectat, flexuosa et venusta lineamenta præbet, trunco molliter innixus. Qualis est *Bacchi* et *Amazonum* et *Hermæ* lepos. Artifici Græco pariter curæ fuit exactam membrorum rationem servare et motus ad rationem hanc patefaciendam aptissimos eligere. Ita, et in immotis signis, non solum motum non vitavit, sed etiam motu voluit pulchritudinem declarari.

Ne tamen ex his concluseris Græcos, cum modicam corporum declinationem admiserint, ampliores et vehementiores motus prohibuisse. Immo perspicuum est illos ad servandam pulchritudinem ne vehementissimos quidem motus vitasse. Quid tu vehementius excogitare possis quam Olympiaci templi metopam in qua Herculis cum tauro certamen incisum est? Parthenonis metopæ num ullam motus vim aut etiam concitationem reformidant? Quæ quidem Græci florentissima profecto atque integerrima arte admiserunt.

Quin etiam, singula signa vel symplegmata fingentes motum adhibuerunt.

Marsyas (1) ille Myronis præclarus a nullo ignoratur, qui, Minervam et tibias dum miratur, brachia tollens, subito recedit ; quem Græci non solum non vituperavere, sed laudibus extulerunt.

Non itaque necesse ad opera Rhodiensium et Pergamenorum et ejusdem ætatis sculptorum descendere ut exempla motus vehementissimi invenias. Nec traditum a majoribus morem solvit Agasias Ephesius cum victorem ὁπλιτοδρόμον sculpsit, pulchritudinis genus inauditum quæritans motu insolenti et unico.

Quem autem Græci haud ingratum habuerant morem, eumdem nostri quoque sculptores exercuere.

Houdon *Diana* efficta nihil nisi formosum feminæ corpus exprimere curat ; nos autem ut detineat voluptate

(1) Romæ, in museo Lateranense.

nova, illam in uno pede stantem ostendit, summa arena vix tacta ut oculi nostri lineamentorum numero gaudeant non antea spectato. Haud alio pacto Falguière noster *Nympham Venetricem* seu *Dianam* (1) ostendit. Johannes Bononiensis cum *Mercurium* (1) in sublime elatum finxit, non aliud sibi propositum habuit. Rude *Mercurium* (1) talaria induentem cum effingit, juvenis molle corpus, pectore vigenti sine intentione, expedite libratum reddere cupit. Ad calcem decurrentes Boucher *cursores* (2) nonne ideo sculpsit ut, motu insolenti, novum sub adspectum corpora formosa subjiceret?

Ita omnium temporum sculptores ad perficiendam pulchritudinem motu usi sunt.

Evenit autem ut sculptor, cum ad vitam animique sensus reddendos præcipue attentus esset, motibus vehementissimis quibusdam, quibus veritatem ante omnia captaret, et pulchritudinem miram assecutus sit.

Noster Rude Massiliensium pæana dum marmore reddit, amorem patriæ in summo discrimine versatæ, bellatricemque iracundiam depingere quidem conatur; statum autem clamantis Deæ quis non numerosum fateatur (3)? Idem marescalcum *Ney* dum medium in prælium ducit, voce et gestu milites suos ad victoriam concitantem, nonne ita composuit ut umbra signi lineis circumdata (4) concinna esset?

Motum denique sunt qui improbent quod a motu quem effingere velis ipsa marmoris iners et immobilis natura abhorreat. « Lubricum et periculosum semper sculptori

---

(1) In museo Louvre.

(2) In horto Luxembourg.

(3) Jouin tamen in libro qui inscribitur David hæc scribit : « L'art plastique se sent outragé par des mouvements dépourvus de rythme et de beauté » (vol. I, p. 530).

(4) Gallice dicitur *silhouette*.

erit, dixit David Andegavus (1), motum vehementem marmore vel ære, quod constat immotum esse, tentare. » Quod quidem antea Hegel acriore ingenio et vehementiore stylo scripserat : « Sculptoris non est personas agentes fingere saxa subito factas quasi Huon buccinæ opera (2). »

His respondere licet tale argumentum spectare et tabulas pictas quæ pariter ac marmor immobiles sunt (3). Ita denique artem totam omni motus descriptione orbari; oculum revera istam discordiam non ægre ferre. Si autem oculus ægre motum videret, reprobaret et moderatum, nec illi jucundum esset personas in æternum stantes, sedentes spectare : mortem unice marmore vitæ experti recte reddere esset. Itaque nullius momenti hoc argumentum censemus.

Ex his omnibus perspicere licet pulchritudinem et in vehementi motu constare posse. Unde hoc concludere jam possumus : animi sensuum descriptionem immerito ob hanc causam damnari quod motus auxilio utatur.

Rursus vehementes motus animi sensuum descriptioni adjunctos (4) ex necessitate esse concedere non possumus. (Multi enim sensuum descriptionem ideo vitandam putant quod quo vehementiores animi sensus, eo vehementiores corporis motus futuros esse credunt). Quæ sententia plane falsa est.

Jam quædam respiciens exempla quæ modo protulimus,

---

(1) Jouin, *David d'Angers*, tom. II. « Il y aura toujours un écueil pour la statuaire à tenter de reproduire des mouvements excessifs dans l'immobilité palpable du marbre et du bronze » (p. 81).

(2) Hegel, op. cit., Skulptur, II, II, II. « Die Skulptur muss nicht so darstellen wie wenn Menschen durch Huon's Horn mitten in Bewegung und Handlung versteinert oder gefroren wären. »

(3) Cui quidem non respuit Droz in *Etudes sur le Beau dans les Arts*, ch. XV.

(4) Ut asseverat C. Blanc his verbis : « le mouvement ne peut guère être modéré si l'action est violente. » *Grammaire des Arts du dessin*, Sculpture, VII.

facile videbis nonnunquam corpus vehementis motu jactari, animo immoto.

Ὁπλιτοδρόμος membra acriter movet : quid autem sentiat ignoro. *Diana* vel *Mercurius* quid cogitent nemo requirit.

Disjecta *cursorum* membra motum corporis, nulla mentis significatione addita, proferunt.

Leves et moderatos animi affectus motus sæpe comitantur ingentes. Miratur Myronis *Marsyas* — quæ non ita magna est concitatio mentis — : corpus totum perturbatur. Satyri vel Fauni, vanam sane propter causam, læti saltant : illos in crustis antiquis videre potes, corpore in diversum quasi distracto. *Faunum* (1) noster Lequesne, super utrem saltantem, tibiamque inflantem ex aere fecit, mira arte usus ut illum suspensum teneret.

E contrario animi impetus maximos motibus corporis aut levibus aut etiam nullis proferri quis neget? *Niobam* sculptor cum effingit, quot et quantis affectibus permotam videt : mortem liberorum Thebarum regina deflet, ultimum defendere tentat, cælum Deosque obtestatur et detestatur, superbo et fracto simul animo. Quæ omnia ut redderet artifex vehementibus motibus non usus est. Satis notum signum, ut illud describere non opus sit, in quo cum corporis jactationem minimam, non ideo descriptionem debilem atque imperfectam deprehendas.

Bartholdi noster *Dolorem* (2) effigie humana depingere tentavit, mulieremque lugentem induxit ; ex sententia quidem rem gessit, cum omnes quid significaverit intelligant : simplici autem statu signum effinxit, immotum ut prope illud diceres.

Argutissimo denique consilio Rodin *Ferreæ ætatis* onere oppressum hominem effingere (3) voluit desperan-

---

(1) In horto Luxembourg.
(2) Lutetiæ in Montmartre Cœmeterio.
(3) In horto Luxembourg.

tem et mole intoleranda obrutum. Tam multiplices sensus ut exprimeret stans signum sculpsit, cujus motus unus est : manus ad caput latæ.

Ita manifeste apparet non ea de causa sensus alicujus descriptionem vituperari posse quod vehementi motu efficiatur. Si forte autem evenit ut sensum quemdam motu vehementi describere necesse sit, legitimum hunc ac licitum sibi existimet sculptor, præterquam quod inde inconcinnitas aliqua oriatur. Sed, cum jam motus vehementissimos et numerosos esse posse viderimus, veniam sculptori dabimus, ut inter motus qui rei accommodati sint, eum eligat qui formosissimus sit. Nullum enim affectum cogitatione assequimur, quem uno modo patefacere sit ; ille igitur vere ad artem natus dicetur qui, cum plurimi sint prompti ad manum et natura oblati descriptionis modi, in opere concipiendo optimum scite elegerit. Furentis si proprium est brachia tollere, tollendi innumeræ sunt rationes, quædam ingratæ, quædam autem quas ille, quem dicimus egregium, lineamentis formosis imitabitur (1).

---

(1) Auctorem liceat Sully-Prudhomme afferre qui egregie scripsit : « C'est une grande difficulté pour l'artiste de faire concorder toutes ces expressions de telle sorte, par exemple, qu'un geste très vivant demeure en même temps décoratif, c'est-à-dire favorable à l'aspect général de la figure. Tout le problème de la composition d'une statue ou d'un groupe consiste à trouver la synthèse des expressions, la conciliation de leurs différentes exigences. » *Op. cit.*, III, v, p. 292. — Quod hoc feliciter effecerit, David Andegavum laudat Jouin : « Il admet le geste dans toute son audace, la pose, l'action dans leur intégrité, se réservant, à force de science et d'art, d'assouplir le marbre au point voulu pour ne pas violer les lois de la statuaire dans la représentation de la vie. » *David d'Angers*, I, p. 529. — Nec ingratum est, præsertim cum sæpius cum illo discrepemus, Carolum Blanc auxiliatorem arcessere : « Le dernier mot de l'art, c'est de concilier la force du geste avec la beauté du mouvement, la chaleur du vrai avec la dignité du style. » (*op. cit.*, Peinture, IX, p. 524). Quæ tamen de pictura scripta esse fatendum est.

Restat tamen ut de vultu disputatio sit. Imago animi, ut dicunt, vultus est, affectusque illi vehementissimi qui, vel corpore tranquillo, erumpunt, insignes in vultu semper sunt ; vultumque si mutant, simul illius pulchritudinem corrumpunt, nec ab re alienum videbitur Timanthis exemplum proferre qui, in Iphigeniæ immolatione caput Agamemnonis velaverit (1).

« Bucca, oculi præcipue mobilissimi cum sint, scribit Hegel, quosvis animi sensus vel fugacissimos exprimunt ; sculptor autem transeuntia illa respuit, magis pictori convenientia (2). » Carolusque Blanc consilium fabrorum improbat qui caput animare studeant (3).

Quæ profecto probabilia sunt : tamen intentius inspi-

---

(1) Licet de tabula picta, non de signo agatur, tamen, cum ex illo exemplo Lessing in *Laocoon* legem universam inferre voluerit, opportune mihi videtur verba Quintiliani referre : « ... cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulixem, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere mœrorem : consumptis affectibus non reperiens quo digno modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput et suo cuique animo dedit æstimandum. » Quintil., Inst., Orat., II, 13, 12.

Plane ex his apparet ideo a Quintiliano Timanthum laudari quod vultum velaverit, quia exprimere pro dignitate rei et voluntate sua non posset, non quia horrendum spectaculum vitaverit.

(2) « Besonders haben Mund und Auge in dieser Rücksicht die meiste Beweglichkeit und Fähigkeit, jede Nüance der Gemüthsstimmung in sich aufzunehmen und erscheinen zu machen. Solche Veränderlichkeit, welche einem gemässen Gegenstand der Malerei abgiebt, hat die Skulpturgestalt von sich abzulehnen. » Hegel, *op. cit.*, I, II.

(3) « Les artistes que possède tout entiers le génie moderne se plaignent quelquefois de ce qu'ils appellent la froideur de la sculpture antique. Ils voudraient surtout déranger, remuer les lignes de la tête, souffler plus de vie aux traits du visage, percer le regard et peindre l'œil à coups de ciseau comme l'a fait Houdon par exemple dans sa frémissante statue de Voltaire, comme le font maintenant la plupart de nos sculpteurs, jaloux des accents pittoresques... Ah ! c'est bien mal comprendre la grandeur de l'art statuaire. » C. Blanc, *op. cit.*, Sculpture, IX.

cienti apparet ita litem lite solvi. Affectus enim dum repudiant quia vultum moveant, commotum vultum corruptum arbitrantur : quæ sententia ipsa demonstranda esset.

Vidimus corporis motus non solum non pulchritudini contrarios, sed et utiles esse ; nunc et videndum utrum motus vultum depravent necne.

Vultus nervos affectus quilibet tendunt ; vultus placidus non manet nisi mente ipsa quiescente. Tenuissimæ curæ, minima lætitia nervos quantulumvis movent, commotus vel subridens vultus est. Immotos vultus sculptor si unice depingere vellet, serenos animos Deorum tantum effingere illi liceret vel mortua corpora. Cum nemo illud roget, manifestum est in vultu commoto pulchritudinem non statim deficere.

Quin, non solum motu levi concinnior vultus fit : sed etiam nervi vehementer distenti pulchritudinem fieri patiuntur.

Difficile vanumque esset ex argumentis dialecticis pulchritudinem probare hujus aut illius nervorum distentionis, et geometria evocata flexuram quamdam ingratam vel formosam esse monstrare (1).

Graviora argumenta ex sculptorum operibus et usu ducimus. Græci ipsi, ad quos auctores semper respicitur ut compescatur artificum impetus et recidatur, ut ita dicam, libertas, nulla vultus distentione abstinuere, nec ulla ab eis tentata distentio est, quamtumvis vehemens, quam tu ægre spectes.

A principio vultum animare conati sunt. Quem Ægineticum risum nominamus, Heuzey loco sæpe citato laboris illius signum esse monstravit (2). Quinto quidem sæculo

(1) Liceat forsan illis Souriau assentire ; « la Beauté véritable est dans l'intelligente adaptation des choses à leur fin. » *Esthétique du mouvement*, v. Le Plaisir des yeux, l'Esthétique des lignes, p. 294.

(2) « J'y vois surtout une tentative d'expression se rattachant au grand effort original des anciennes écoles grecques pour animer la

nec non et quarto, immotam Deorum quietem præcipue consectati sunt ; eo autem tempore quo « vivida sculptura » (quam gallice *sculpture d'expression* nominamus) floruit, nullus datus modus audaciæ fuit.

Marsyam nosti de trunco pendentem cui Apollo cutem diripuit : post infelicia tibiæ certamina sævissimo supplicio excruciatus ejulat Marsyas ; vultus totus contrahitur ; buccam reserat hiantem, frontem adducit, venæ tumescunt. Tibi tamen voluptas est illum spectare.

Centaurus ab amore domitus, etsi dolore minore afficitur, tamen pari ratione gemitum dat, nec oculos minus delectat.

Rursus risu exsultantis Fauni jocosam imaginem quis despiceret ?

Quas leges philosophi artis curiosi sculptoribus ponere nisi sunt, sculptores sæpe perrupere : audaciaque prudens in successu judicata est.

Lessing in libello qui *Laocoon* inscribitur, auctores Laocoontis collaudat ideo quod in describendo cruciatu modica et temperata arte usi sint, fusiusque iisdem quod ab buccæ hiatu abstinuerint gratulatur. Illum parvo contentum esse recte dicas, cum vehemens ita Laocoontis vultus distentio sit ut illam millies vituperare possit vel benevolus censor. Non illum tamen solum debita operi claro reverentia impeditum videmus. Hegel cujus doctrinam novimus, Laocoonta criminari non ausus est (1). Simili

---

physionomie. » *Catalogues des figurines de terre cuite du musée du Louvre*, p. 132.

(1) « Das Wesentliche was bei dieser Gruppe in Betracht kommt, ist dass bei dem hohen Schmerz, der hohen Wahrheit, dem Krampfhasten Zusammenziehn des Körpers, dem Baümen aller Muskeln, dennoch der Adel die Schönheit erhalten und zur Grimasse, Verzerrung und Werrenkung auch nicht in der entferntsten Weise fortgegangen ist. » Hegel, *op. cit.*, Skulptur, III, I.

cavillatione Droz (1), Carolus Lévêque (2), Carolus Blanc (3), fratres Ménard (4), operis virtutes ad doctrinas suas flectere et accommodare tentaverunt.

Quam vero ex comparatione moderationem ii laudant, propter eam motui operis indulgentes, subtilissimi judices, ut Rayet (5), academico fœtore inquinatam valde judicaverunt.

Parum quidem audaci animo fuisse Agesandrum, Polydorum, Athenodorumque putabis, si Laocoonta cum hiantibus signis Rude nostri contuleris. Summam distentionem sine dubio ille effinxit in marescalci Ney vultu aut in ore bellatricis Deæ Massiliensem Pæana cantantis. Quæ autem signa tragicum spirant, et pulchritudine quadam virili sunt conspicua, interque ætatis nostræ opera perfectissima prænitent.

Argumentis probavimus sensuum descriptionem cum pulchritudine congruere. Forsitan tamen dicat aliquis pulchritudine quieta pulchritudinem trepidantem superari, quippe cum in signis vehementiore motu expressis duæ res, pulchritudo et sensuum descriptio, miratione duplici animum in diversum trahant.

---

(1) *Etudes sur le Beau dans les Arts*, cap. VII, p. 59 (2ª ed.).

(2) « La beauté persiste sur la figure de cet homme, en dépit de son supplice. » *Science du Beau*, III, III (t. II, p. 87, 2ª éd.).

(3) *Op. cit.*, Sculpture, IX.

(4) « Le groupe de Laocoon... nous montre l'expression de la douleur sous une forme plus violente que le groupe des Niobides, mais toujours contenue par l'énergie morale. » *La Sculpture*, 1867, I, III, II, p. 146.

(5) « La violence n'est qu'apparente et superficielle. On sent, en les examinant de près [Laocoonta et Taurum Farnesium], qu'un sculpteur fort calme a cherché lentement, péniblement et d'après les règles de l'école, comment il devait exprimer le paroxysme de colère d'Amphion et de Zéthus. Le Laocoon est un acteur qui étudie son rôle et cherche devant la glace l'effet que produit la contraction de son visage. » *Les antiques au musée de Berlin* in *Etudes d'archéologie et d'art*, p. 261.

Primum negamus duos sensus qui diversas animi partes movent unquam inter se adeo pugnare ut alter alterum opprimat atque extenuet.

Si chorus carmen tragicum cantat, musica aures permulcet, poema animum movet ; nec auribus injucundius est animum moveri, nec animo aures permulceri. Ex illis duabus voluptatibus fit voluptas unica ac major (1).

Non facile est intelligere animum minus optima sensuum descriptione gaudere, quia oculi pulchris lineamentis delectarentur ; nec rursus oculos formosis lineamentis minus delectari quia sensuum descriptione exquisita animus. Num signum quod admiraris inscius quem repræsentet, minus mirabile fiet cum herois nomen noveris? Immo, cum voluptas ex lineamentis concepta major sit si mera incorruptaque, ideone ejus gratia sensuum descriptionem contemnere fas est? quid juris habet pulchritudo ut diligentiam nostram in se solam convertat? Num sculpturæ lex sit lineamenta tantum effingere concinna?

Facile est manifesta hæc facere : ita comparatam esse hominum naturam ut in signis sensuum descriptionem vitamque ante alia mirentur ; — philosophos autem primos, subtili descriptione, pulchritudinem lineamentorum a ceteris quæ in signis consistunt, sejunxisse ; — pravi animi esse pulchritudinem unice prosequi ; — optimam denique statuam esse illam quæ et pulchra et vivida sit.

Impetu quodam et instinctu pueri infantes pupas suas animatas existimant : cum illis colloquuntur, illas respondere fingunt ; illis virtutes vel vitia tribuunt : illas esurire, dormire, lugere, quid multa, vivere arbitrantur. Nec pueris opus est, ad ista fingenda, perfecta et articulis distincta et spiranti pupa : rude lignum panniculis involutum eis satis est ut vivum atque humanum mente videant.

---

(1) Quod Sully-Prudhomme probavit in opere citato, II, XII, p. 171.

Quod quidem eos non fallit qui pueriles delicias faciunt, cum curam præcipue adhibeant in puparum oculis fingendis, quibus vita potissimum significatur.

Barbarus homo et incultus assimilandus in hoc cum puero est. Simulacra lignea vel saxea cædit rudia, jam illa Deos esse credit quorum iram timet et placat. Museum humanis gentibus in Trocadero ædibus Lutetiæ collocatum cum perlustras, vides Afrorum vel Americorum idola quæ summa veneratione colunt quibusque pro victimis homines immolant, quamvis rudi atque fœdo adspectu.

Ex his exemplis satis constat Barbaros vel infantes pueros pulchritudinem signorum vix percipere, vivida autem statim fingere : unde inferre licet sensuum descriptionem ipsa lege naturæ nobis voluptati esse, pulchritudinem vero adscitam delectationem habendam esse(1).

Quæ quidem fuit et Græcis et Romanis mentis inclinatio. Quoties et in ævis maxime humanitate perpolitis, populus Deos declarasse in simulacris se inesse credidit :

Et mæstum illacrymat templis ebur, æraque sudant (2).

Miraculum Sancto Januario a Neapolitanis tributum veterum religionum memoriam ad hunc diem renovat.

Dicat forte aliquis puerorum, barbarorum vel plebis opinionem artem veram rescindere, ac veræ artis incremento, religione simpliciore omissa, Pulchritudinem puram surgere (3). Græcæ contra artis historia monstrat hæc falso fingi parique gradu sensus descriptionem et pulchritudinem crescere posse.

Nemo hodie credit Græcos ullo tempore pulchritudinem quamdam vitæ expertem aut probasse aut optasse.

---

(1) Quas narrare solebant fabulas de hominibus in saxa conversis, eæ ejusdemmodi habuerunt originem : saxa quædam ex incertis lineamentis faciem hominis exhibere finxerant : inde nata fabula. Exemplo sit Hecubæ saxum.

(2) Virgilius in *Georgicis*.

(3) Quod C. Lévêque explicuit.

Scimus illos vitam simul et pulchritudinem consectatos esse. Non jam sermo est de illa pulchritudine *idéale*, ut Gallico verbo utamur, quam Victor Cousin (1), ætate non ita longinqua, in illis agnoscebat, vel de illa immobilitate qua Veron illorum opera omnia indui asserebat (2).

Primus Emericus Duval in libro notissimo qui *Recherches sur l'art statuaire* inscribitur, nihil præter veritatem Græcos in signis effingendis coluisse nec quidquam extra naturam quæsivisse monstravit. Summa judicii subtilitate ipsa Græcorum vel Romanorum verba posuit (3), in hoc tantummodo peccans quod tempora non secreverit.

Cum in Britannicum Museum Phidiaïca signa ab Elgin translata sunt, Quatremère de Quincy ipse, ille Emerici Duval acerbus detractor, miratus illa a specie discrepare quam sibi finxerat, vividam fuisse Græcorum artem fateri coactus est (4). Ex illo tempore omnes nostræ ætatis docti homines plane monstraverunt Græcos pari amore pulchritudinem et sensuum descriptionem prosecutos in duabus artibus pari progressione profecisse.

Nuper Courbaud, in libro qui *Le Bas-Relief Romain* (5) inscribitur, eleganter quæ illorum studiis reperta fuerunt contraxit : naturæ et vitæ amorem, qui, in ea ætate quam hellenisticam (si illo vocabulo uti liceat) vocamus, solitus et acceptissimus fuit, temporibus superioribus natum et auctum fuisse, nullo progressionis saltu, fortiter monstra-

---

(1) *Le Vrai, le Beau et le Bien*, 8e *leçon* : *de l'Art* : « Le procédé véritable de l'art grec a été la représentation d'une beauté idéale que la nature ne possédait guère plus en Grèce que parmi nous, qu'elle ne pouvait donc offrir à l'artiste. »

(2) 1868, *op. cit.*, Pars III, cap. I, *De la sculpture antique*, passim.

(3) *Recherches sur l'art statuaire considéré chez les anciens et chez les modernes*, II, II, I.

(4) *Lettres de Londres à Canova*, 1818, passim, et præcipue, p. 115.

(5) *Le bas-relief romain à représentations historiques*, Lutetiæ Parisiorum, 1899.

vit. Non perturbatione, sed continuo motu arte progrediente, Phidias et sculptores Olympiacorum fastigiorum et Myro naturam jam et sensuum descriptionem coluerunt, Lysippusque verus auctor naturæ amoris hellenistici, ut ait Collignon, fuit (1). Eadem ratione pictura irritamenta quædam aut etiam exemplaria sculpturæ. a quinto sæculo præbuit, ut ex vestibus in Parthenonis anaglyptis cælatis colligi licet (2). Sine artis intermissione procedente tempore, quædam videre opera potes, qualia sunt anaglypta quibus Poseidonos et Amphitrites nuptiæ effictæ sunt, aut ille celebratissimus Alexandri dictus sarcophagus, in quibus animum cum audacissimum, vitæ sensuumque descriptionis cupidissimum, tum doctissimum et scientiæ antiquæ præceptis imbutum discernere est (3).

Denique, mutatis loco artis sedibus, Athenis relictis, florentibusque Alexandria, Pergamis, Rhodo, Antiochiaque et Trallibus, vitam naturamque ante omnia fabri consectantur. Quæ jam Emeric Duval collegerat verba Græcorum, quæ autem de tota arte antiqua vera esse crediderat, iterum breviter Courbaud commemorat, unice ætatem hellenisticam spectantia. Qui recte quid in Anthologia servata epigrammata vel Theocriti Syracusanæ doceant monstrat (4).

Ea ætate, faber cum scientiam formarum hominis ad unguem possideat, nihil intentatum relinquit : motus vehementissimos, animi sensus flagrantissimos non impar aggreditur : corpusque cum parum vividum existimet, vultum præcipue curat. Quæ artis ratio a nostris « sculpture d'expression » recte nominata est.

Cujus artis, dum Laocoon et Taurus Farnesius præcipue

---

(1) *Op. cit.*, Liber tertius, caput secundum, II, p. 222 sqq.

(2) *Op. cit.*, p. 224.

(3) *Op. cit.*, p. 226-228.

(4) *Op. cit.*, p. 231 et sq.

testes fuerunt, ambo academico fœtore inquinati (1), artem, illorum fabrorum culpa, in deterius lapsam credere verisimile fuit : ex quo autem effossa sunt Pergamena signa, talia sentire non jam legitimum. In illa enim celebratissima Deorum et Gigantum dimicatione vere ferventis artificis manus agnoscere necesse est. Atque hoc notandum, illos qui de illa judicaverint, in diem ab illa laudanda minus repugnare, quasi primum attoniti, admirationemque novam aspernati, posthac faciliores facti essent. O. Rayet qui de gigantomachia inter primos scripsit, cum ardorem fateretur in illa inexpectatum, illam tamen animo sincero carere asseruit, fabrum ejus generis loco rhetoris habuit, speciosa sine proprio affectu animi condere soliti (2). Illis Collignon, cum historiam græcæ sculpturæ scriberet, obnisus est (3), sculptoresque illos cum Petro Puget, haud impari æmulo, comparavit, nec solum scientiam, sed vitæ intelligentiam magnam in opere agnovit.

Recentior denique Courbaud illam plane laude dignam, et operis partes singulas sicut summam veram judicat (4).

---

(1) O. Rayet, *Les antiques au musée de Berlin*, in Mélanges d'archéologie et d'art, p. 261.

(2) *Op. et loco cit.* « Avec le Laocoon et le Taureau Farnèse nous étions en présence d'habiles metteurs en scène ; maintenant nous avons affaire à des dramaturges de race, mais toujours à des dramaturges... Ils développent avec une verve étourdissante un thème qui les intéresse ; mais ils ne croient plus. Les preuves de ce scepticisme abondent. »

(3) *Histoire de la sculpture grecque,* tom. II, p. 524-525. « Avec quels accents l'artiste a rendu le frémissement des chairs, les contractions de la poitrine haletante, soulevée par un spasme d'angoisse ! Il y a là plus que de la science d'atelier, il y a un sentiment profond de la vie, avec un naturalisme très franchement avoué. »

(4) *Op. cit.*, p. 260. « S'il y a quelque chose qui étonne dans cette gigantomachie, ce sont moins les morceaux isolés, dont certains sont excellents et défendent l'époque contre son renom de décadence, que

Ita, aucta nostra artis veterum scientia, probatur nunc a Græcis sensuum descriptio.

Non alii populo, æque ac Græcis, contigit ut natura ad pulchritudinis fictionem et sensuum descriptionem creatus atque informatus esset. Attamen, ad artem minus compositos populos si spectas, eos quoque qui in via una proficerent et in altera profecisse videbis.

Perdiu communis vox doctorum hominum fuit Medii Ævi sculptores cum sensuum descriptione valuisse, tum ad consequendam pulchritudinem hebetes fuisse. Ii quam rudes et imperiti et concinnitatis inscii fuerint superbo et indefesso calamo prædicabant, maxime præ solito Græcis pulchritudinis studio : his pulchritudinem, illis sensuum descriptionem Deus æquus tribuerat.

Hodie, nobis pluribus et exemplis et experimentis edoctis non licet illas sententias decantare (1). Didicimus tempora discernere. Undecimi sæculi productiora et rigida et tam fœda visu signa non jam nobis exempla artis Medii Ævi ponimus. Novimus signa tertio decimo sæculo singulari opera artificioque perfecta.

Illius ætatis homines qua plebs ipsa *pulchrum Ambianensem Deum* mirabatur, pulchri conscientia caruisse non jam putamus. In januis basilicæ Ambianensis intuere pulchrum Deum, Virginemve ei parem, fronte in occidentali, aut Virginem illam venustam, transeptum ante australe, aut signa quæ ante basilicas suas Bituricenses vel Carnutenses vel Parisienses sculpsere ; respice subinde

---

l'ensemble de cette frise colossale, où éclate dans l'invention des épisodes une richesse, dans l'accumulation des figures une verve et un brio de tous points admirables. »

(1) Scribit tamen Sully-Prudhomme, in *L'expression dans les Beaux-Arts*, ista : « il faudrait pouvoir ne regarder qu'avec les yeux de la foi les corps décharnés et mal bâtis du Christ et des saints représentés par la sculpture du moyen âge, pour être en état d'en admirer l'expression morale sans en déplorer la laideur » (III, v, p. 312, 1883).

claustri Arelatensis statuas duobus sæculis ante confectas aut januas Vizeliaci templi ; Medii Ævi sculptoribus idem fere contigisse fatebere ac Græcis, cum hi ad sensuum descriptionem per pulchritudinem, illi ad pulchritudinem per sensuum descriptionem pervenerint.

Ex duobus illis contrariis exemplis manifestum fit non eam legem, progressionis causa, sculpturæ impositam esse, ut sensus descriptio pulchritudini præferatur, qualis fuit apud Græcos, cum Medii Ævi fabri viam contrariam secuti sint. Inde jure optimo concludere possumus artem non ideo in pejus ruere quod de sensuum descriptione magis curet. Artibus recentioris ætatis spectatis, quæ multis rebus, studiis, doctrinis immutari coactæ sunt, videre sit in iis homines non uno tenore nec constanti labore processisse : Gallos autem sculptores, exempli gratia, alternis vicibus pulchritudinem nunc, nunc sensuum descriptionem consecutos esse : sexto decimo sæculo, pulchritudinis cupidos, octavo decimo oriente sensuum descriptione captos, finiente ad pulchritudinem reversos, nono decimo autem sæculo incipiente rursus sensuum descriptionem tentasse. Ii sunt humani ingenii inter tranquillam pulchritudinem et commotam alterni motus, pariter probandi quidem, nedum alter artem minui et concidere significet.

His omnibus, quæ in hoc capite protulimus, concludere licet : duas res esse sculptori propositas, ut pulchritudinem sensusque reddat, non contrarias quidem, quippe cum pulchritudine sensuumque descriptione vitam imitari conetur.

Ne dixeris igitur sculpturam corruptela quadam et nescio quo morbo exitiali ad perniciem ruere, cum e compluribus rebus appareat progressionis capax. Gestus qui « lingua sculptorum est » (1) forte, scientiæ auxilio, novas

(1) « Le geste est le langage de la statuaire ». In Jouin, *David d'Angers*, t. II, p. 79.

atque ad veritatem propius accedentes formas, ut credidit Guyau(1), induere poterit, renovabiturque nostra voluptas. « Recentior ars, ut scripsit egregie Sully-Prudhomme, plane explorato a Paganis et a Christianis artis campo fruitur, nec jam pulchritudinem a sensuum descriptione sejungere cupit. Corpora utraque laude digna effingere, propositum fabro erit futuro » (2).

---

(1) « Loin de tuer la sculpture, c'est peut-être la science moderne qui sera capable, un jour, de la rajeunir : rien de plus précieux pour l'art, par exemple, que les recherches commencées par des savants tels que Darwin sur l'expression des émotions. » *Les problèmes de l'esthétique contemporaine*, II, ii, p. 99.

(2) « L'art moderne a profité de cette exploration complète (a Paganis et Christianis instituta) du domaine esthétique, mais il semble ne plus chercher à isoler entièrement chacune des deux expressions de la vie physique et de la vie morale. Le corps exprimant dans une juste proportion l'une et l'autre par sa beauté, tel est peut-être l'idéal de la sculpture à venir. » Op. cit., III, v, p. 300.

CAPUT SECUNDUM

QUEM TERMINUM MATERIA SENSUUM DESCRIPTIONI IMPONAT

Cum a nobis probata sit in sculptura sensuum descriptio, nunc videndum est num ea quæ peculiariter ars requirat, huic descriptioni modum quemdam statuant; videndum quatenus sculptor sensus effingere possit.

Omnes artes ex duabus rebus, mente scilicet et materia constant; nec mens quidquam, materia repugnante, efficere potest. Artes autem materia non omnes eodem modo premit. Architectura tota ei subdita est et quasi constricta, musica pæne libera; sculpturæ materia valdopere imperat.

Ea enim non tantum res verbis, ut poesis, aut fictis imaginibus, ut pictura, commemorare satis habet; illas ipsas imitatur : quibus consistunt conditionibus et alligantur res in natura, eisdem ipsa parere cogitur.

Qui marmor tractat, aut æs, aut lignum, materiæ pondus et gravitatem respicere debet : ei igitur circumscripta libertas. Clara et distincta ut figurarum dispositio maneat, unam, vel, ut maxime, duas ducere personas poterit. Nec illos sensus effingere poterit qui ex multorum conjunctione oriuntur. Rursus, licet inanima sensus movere et tangere possint, illi agros, rivos, ædes effingere non datur; vix quædam, atque ea imperfecte, commemorat. Concedamus illum, quod nullo pacto fieri potest, omnia quæ sub sole sunt effinxisse : decolorem tristemque

confecerit imaginem ; color illi deerit quo cuncta animantur. Elementa denique, quæ animum etiam afficiunt, illum effugiunt, nec die, nocte, procellis signa circumdare potest, quæ locorum in quibus posita sunt necessitatibus parent.

Terminis, ut dicunt, undique finita, sculptura tot obstantia amovere debet ut illi sensus descriptio perdifficilis plerumque sit.

Has breviter contrahamus argumentationes. In summa : 1° Sculpturam materies premit ; 2° Paucissimos sculptor conglobare potest ; 3° Non illi facultas pleraque inanima effingendi ; 4° Coloribus abstinendum ; 5° Aera circumfusum immutare non potest.

Quæ singillatim excutere breviter volumus.

I° Qui sculptorem materia premi dicunt, artifices profecto id non docent. Bonus artifex quid sustineat materia, quid ferre recuset plane scit ; ignorantem usus docebit : cum opus absolvere non poterit, cum massa in fragmenta, pondere ipso, rupta erit, hæc in posterum vitabit. Atqui arrogantis esset censoris, qui ipse in arte nunquam exercitus sit, opificem de opere docere : « ne sutor ultra crepidas ! » recte clamarent.

Sibi vero non tântum sumunt. De spectantibus curant qui, nisi admoniti, mirarentur sculptorem artificio quod male perspiciant usum fuisse, nec, ut exempla proferamus, in manu Jovis fulmina posuisse, nec Junonem in nube stantem effinxisse Mercuriumve monstrasse citatiore motu volantem.

Illi autem, qui legem judicandi quærens, qui sint materia positi termini rogaret, haud facile responsione satisfacere esset. Certos fines non esse fatendum, esse tamen aliquos qui mutentur mutatis condicionibus.

Modum operis et mensuras muta, mutantur fines. Brevissimum signum fingenti facile erit stans pede in uno effingere, vel David imitari porrecto brachio Goliathis caput librantem.

Opus amplifica : singula membra ingravescunt ; partes æque librare difficilius. Colossum si attollam, brachia a trunco sejungere dubitabo, ne manus pondere brachium decidat.

Materiam igitur arguenti respondebit artifex sibi facultatem fuisse, mutato modo, fines mutandi, seque ultro servitutem subiisse.

Accedit illud : materia, qua sculptor utitur non est una. Numerus infinitus solidorum corporum quæ cædere liceat. Plerique marmore vel quadrato lapide vel ære utuntur, sed et lignum, ebur, figularis creta, metalla pretiosa vel vilia, ferrumque fusum materiam sculptori præbent (1).

Illis quæ tu ingratissima crederes utuntur. Ægyptii syenitem lapidem ceciderunt cælo vix penetrabilem ; Petronii ille obsonator (2) e pasta fingebat — nec illius desunt nunc imitatores. Michel-Angelo coactus est e nive fingere. Falguière noster, Lutetia circumvallata, e nive finxit ; fingunt et in annos pueri infantes.

Unaquæque materia commoda sua aut incommoda præbet. Nunc eam massæ formant brevis ac deficientis copiæ : ut lignum, quo usus sculptor exiguum excedere modum si vult, adhibere coagmenta cogitur difficilia caducaque ; aut ebur, quo nihil nisi parvula effingere est.

Nunc materies tam dura est ut, tardi cum pertædeat laboris, artifex illam præstringere satis habeat ; nunc autem tam levis, tamque fragilis ut illam tractare ludus sit. Nunc tantæ molis est ut timendum sit ne leviter excavata corruat ; nunc undique suffossa firma perstat. Præterea asperitate aut levitate, conspectu, colore, solis radiis aliter exceptis aut remissis, materiæ aptæ ad dissimiles

---

(1) Quatremère de Quincy, *Jupiter Olympien*, Pars prima, v, *Coup d'œil sur la diversité des genres de matières employées à faire des statues dans l'antiquité* (p. 24-28).

(2) « Porcelli, ex coptoplacentis facti... » *Satyricon* XL.

usus fiunt. Illa potissimum ex qua fingas juvenes videbitur; illa vero, magnos Deos; lætos hæc, mœstos illa sensus melius describet.

Guillaume in libro *Essais sur la théorie du Dessin et de quelques parties des Arts*, cum de ahenea sculptura dissereret (1), variis illis uniuscujusque materiæ virtutibus egregie notatis, ipsa materia quodlibet opus propria et indelebili nota signatum esse edocuit (2).

Exempla cum sumpsisset marmor et æs, quibus uti plerique solent, summa subtilitate diversum esse eorum usum et commoditates dissimiles monstravit. Non eamdem esse sequendam rationem librandi : æs firmius cohærere, exigua basi contentum (3), adminiculaque illi inutilia quæ marmori necessaria (4); coloris ipsius gratia, unius albi, alterius cæ-

---

(1) Libro citato, *La Sculpture en Bronze*, p. 224 sqq.

(2) « C'est le privilège de certaines matières sujettes au travail, de doter tous les objets qui en sont formés d'un caractère générique..... dès que nous les attaquons pour les plier à nos conceptions, chacune d'elles semble développer aussitôt un tempérament particulier... Tandis que l'initiative humaine s'exerce à façonner marbres, pierres dures ou métaux, les lois qui président à leur constitution et qui sont leur essence se dégagent, réagissent contre l'idée, pèsent sur elle. L'intelligence les reconnaît et, bien que la pensée semble s'établir de vive force dans la matière rebelle, le génie que celle-ci contient en puissance, met sa marque sur l'œuvre de l'homme et lui confère un caractère indélébile. » *Op. cit.*, p. 231-232.

(3) Sic Johannes Bononiensis *Mercurium*, stantem pede in uno et suspenso fecit, sic Petrus Biard *Cadillacis Famam*, sic Houdon *Dianam*, sic Duret *Neapolitanum saltantem*, sic Lequesne *Faunum*, sic Falguière *Venatricem* aut *Victoris Galli possessorem* fecere.

(4) Statuam equestrem e marmore ponens, per necessitatem ventrem equi sustinebis quodam artificio, trunco arboris, vel saxo, vel devictis hostibus, proculcatisque : tali artificio Johannes Bononiensis *Herculem Centaurum domantem*, Guillelmus Coustou equos Marly dictos, Puget *Alexandrum* cum fingerent usi sunt. Equi vero ahenei Venetianam ad basilicam fixi, Marcique Aurelii statua nulla fultura nituntur.

rulei, diversam fieri oculorum voluptatem : candido colore formam inflatam videri, cæruleo extenuatam, illud majestati virilique robori, illud juventuti convenire et agilitati (1).

Ex his constat artificem non levis momenti æstimare materiæ electionem, cum mutata materia, mutetur et operis species (2). Ea quæ excogitaverit non quævis materia reddet. Prout excogitata postulabunt, hac aut illa utetur materia. Materia electa, magnum vel exiguum signum finget. Sed et illi contingit, artificio fausto, vitia materiæ electæ eludere. Massa gravior intus cavata fit levis ; fultura ferrea dextere dissimulata præcavebit ne moles corruat.

Fas denique erit materias miscere ; quibus mixtis non solum oculis voluptatem novam opus feret, sed etiam, renitentibus dissimili modo materiis, moles operis librabitur tota. Quod Phidias fecit, dignus auctor quem imitari neminem pudeat. Materiæ ergo facultates infinite variæ sunt : quippe cum et complures sint, et facile ad mixturas accommodentur.

Ad propositum igitur revertamur : artifex qui quemdam sensum describere vult, inter tot diversas materias unam profecto inveniet, quæ potissimum ad inceptum congruat. Si marmor deficiet, æs suppeditabit ; deficiente

---

(1) Laocoonta marmoreum cum ex ære duxerit, Primatice, eadem admodum servata figura et mensuris, gracilis videtur Laocoon novus, etsi reipsa persimilis. *Hercules Farnesinus* immani mole admirationem movet ; pugilis vero ahenei quem in Museo Thermarum videre est, etsi genus simile, non idem conspectus est.

(2) « Tel geste dont la vivacité et l'expression seraient excessives dans la sculpture en marbre, est possible et même tolérable dans la sculpture en bois, où il n'y a rien d'inquiétant pour l'esprit ni pour le regard... Les plus hardis mouvements peuvent être tentés par le statuaire quand il travaille pour le bronze, en ce sens qu'il n'a pas à craindre que la matière inspire des inquiétudes à notre esprit en nous menaçant de sa chute. » C. Blanc, *op. cit.*, Sculpture, VII.

ære, lignum aderit. Nulla est persona quam imitari opifex nequeat, culpata materia, si vere artis suæ virtutes intimas plane noverit.

II° Quibusdam videbitur esse parum, sculptori licere personam unam ducere quovis motam sensu, nulla admodum exceptione facta. Symplegma cædendi num dabitur illi potestas? Sunt enim sensus quidam quibus afficimur soli, sunt alii ex re oriundi cujus participes simul ac nos multi sunt. Lætum *Faunum* solum, saucium *Galatam* solum, solam dormientem *Ariadnam* imitari sculptori licebit. Agamemnonis vel Niobæ dolorem manifestum facere non poterit nisi ostenderit alterius filiam Iphigeniam mactatam, alterius liberos sagittis divinis transfixos. Virgo christianorum cur lamentetur, absente Christo mortuo, non scires. Sculptor ergo, si personam effingere unam debet, caretque facultate symplegmata faciendi, multorum sensuum descriptionem ne aggredi quidem potest.

Fateor quidem plerosque sculptores una persona contentos esse. Personam unam fingere tantæ est difficultatis ut satis magna laus sculptori sit in hoc non offendisse. Hanc moderationem vero ultro sibi adhibent. Nec opus est controversia rationali ut probetur facultatem majorem illos habere. Satis erit oculos quemquam aperire ut pateat multis in temporibus, sculptores numerosa symplegmata feliciter absolvisse.

Anaglypta prætereamus de quibus posterius agendum erit. In fastigiis templorum Græcorum symplegmata personarum fabula una junctarum videmus. Hic sculptori impedimento fuit necessitas omnes personas in uno ordine ponendi, formaque fastigii trianguli artificia subtilia docuit. Factum est tamen ut sculptor vividum spectaculum ederet. Fastigium Æginetarum templi fabulæ vividæ et vehementes sunt. Pugnantes cum spectas, genu nixos sagittarios, sauciosque et morientes, pæne oblivisceris illos spatio tam exiguo præliari.

Quæ sculptori, tam dura lege posita, succedunt, nonne sublatis impedimentis egregius succedent? Scimus Græcos quædam symplegmata multis adhibitis personis fecisse, quorum integrum hodie nullum videre est, partes tamen disjectæ supersunt.

Niobæ et liberorum monumentum quale vere fuerit non satis constat; ex disjectis signis quæ servata sunt suspicari possumus. Sunt qui, ut magistri Florentini musei, illa in orbem posita fuisse credant; alii illa circum interius symplegma circumposita malunt; nonnulli in saxo altitudine varia surrexisse. In hoc tantum consentiunt, Scopam vel Praxitelem (quippe cum de auctore lis sit), symplegma e multis signis fecisse, suo arbitratu ordinatis.

Idem et Pergamei ad commemoranda Attali et Eumenis adversus Gallos prælia, Isigonus, Phyromachus, Stratonicus, Antigonusque fecere. Quod non solum Plinio Pausaniaque auctoribus constat, sed etiam ex plurimis figuris quas videre Romæ aut Neapoli seu Venetiæ est, inter quos celeberrimus est *Gallus saucius*, quem tamdiu *Gladiatorem morientem* putavere.

Alia symplegmata a Græcis facta fuisse, etsi non scire possumus qualia certo fuerint, ex multis scriptorum veterum locis intelligimus. Phidias Delphis monumentum in memoriam Marathonis prælii cælaverat; ipse auctorem habebat Ageladam magistrum suum. Pari modo et Lycius Myronis filius Achillis et Memnonis duellum sculpserat, teste Pausania (1).

Ne tamen in argumenta advocemus diruta monumenta, Græcis omissis, sculptores Medii Ævi aut recentiores nobis plurima exempla præbebunt.

Quis non vidit vivida spectacula quæ ex ligno aut marmore super altaria aut ad parietes templorum posuere

---

(1) V, 22, 2.

nostri, aut Germani, aut Hispani artifices? vel illa majora quibus Christi sepulturam simulavere?

Ex tot symplegmatibus ingenuis et ad vitam compositis quæ in memoriam reducere liceat, Carnutinæ vel Ambianensis basilicæ proferemus imagines. Quanta varietate et veritate opifex personas conglobavit, quas spirare pæne credas; quibus decem vel viginti, vel pluribus collectis, nunquam tamen turba fit, fabulæque unius cum participes sint, speciem servant uniuscujusque propriam. Similes sunt illæ ab Adam Kraft in urbe Nuremberg sculptæ Passionis stationes. Quis non miratus est a Ligier Richier in ecclesia Sancto Stephani dicata in urbe Saint-Mihiel, factam Christi sepulturam (1).

Eadem ratione, in Aremorica Britones monumenta *calvariarum* cognomine cognita erexere.

Non me fugit nonnullos ista visenda quidem fateri, sed miratione digna potius quam laudibus esse. Ii nimirum critici operibus illarum ætatum universis parum delectantur. Nulla enim causa inveniri potest cur symplegmata unico odio proscribant : nempe aliqua operum aut conceptione aut confectione discrepare ista symplegmata ab singulis signis quæ iidem artifices fecerint, nequaquam contendere possunt quicumque illa attente spectavere.

Præterea, procedentibus sæculis, non fastidio egregiis fuit sculptoribus Medii Ævi exempla sequi : et septimo decimo sæculo et octavo decimo et nono decimo talia facta sunt symplegmata.

Nil audacius Britones sculptores tentavere illa *Apollinis lavatione*, quam in Versaliarum horto, magno omnium favore, Girardon noster disposuit. Non ignotum est Fal-

---

(1) Cui et conferre possis eamdem fabulam ab Adam Kraft in urbe Nuremberg in ecclesia « Holzschuher Kapelle », vel illam in ecclesia Sancti Maclou Pontisaræ servatam (Gonse, *La Sculpture française depuis le* XIV^e^ *siècle*, p. 135).

conet in basilica Sancto Roch dicata, calvariam erexisse, cujus partes supersunt singulares, mutata priore collocatione (1).

Quæ quidem exempla satis ostendunt non prohibitos fuisse sculptores tot personas ducere quot vellent. Medii Ævi sculptores large illa facultate usi sunt. Aliis temporibus, sculptores si sibi libertatem abjudicaverunt symplegmata faciendi, ultro quidem. Audaciori continget, vetera vestigia ingresso, symplegmata renovare.

III° Num difficilius erit ea quæ sensus et vitæ expertia sunt quam hominum figuras effingere? Sculptorem credendum plerumque judicio suo, non materia, contineri. Sedentem in sella sæpe sculpserunt, ut *Agrippinam* veteres, ut *Voltaire* Houdon, ut *Diderot* Gautherin. Bigis vel quadrigis vectum, in lecto jacentem, multi fecere. Summo in saxo Falconet Petri Magni statuam equestrem posuit. Andromedam Perseum vinculis liberantem (2) cum effingeret Puget, rupe accurate assimulata vividiorem operi speciem dedit. Simili ratione Apollonius et Tauriscus Tralliani cum Zethum et Amphiona ac Dircen et taurum vinculumque ex eodem lapide cæderent, rupem repræsentaverunt. Non majoris profecto difficultatis foret parietem vel tabulam e marmore, arborem vel velum ex ære quam corpus hominis cædere, nisi timeret sculptor ne adjunctis et minoris momenti rebus ea quæ capitalia essent intersæpiret: quas moras sibi obstantes Medii Ævi sculptores, artificio simplici usi, pepulerunt, quippe qui exactam operum suorum rationem non servaverint, domos minores hominibus, arboresque in baculi modum fecisse contenti. Pravum quidem fingendi genus,

---

(1) C. Cournault, *Falconet* in *Gazette des Beaux-Arts*, 1869, pag. 122-123.

(2) In museo Louvre.

imperitiæque soli concessum. Impedimenta illa tali ratione pellere nostrum non est; insuperabilia esse tamen haud crediderim.

Imaginandi facultatem nostram modo invocemus. Mens nostra quidvis cogitatione potest sibi depingere; eam invitamentis quibusdam sollicitemus. Notis exiguis quibus universus operis numerus dirimi non possit, nos facile ad hoc adducet sculptor, ut animo nos fingamus quæ effingere ex materia illi non licuerit. Nonnullæ arundines ripam designabunt. Fluvium urna nominabit. Bernardi Palissy opera fornax memorabit.

Fit etiam ut nullo adjumento mentis opus sit ad commovendam fictionem. *Balneatricem* Falconet aut Allegrain cum sculpserunt, nobis commiserunt ut aquæ fluentis imaginem animo conciperemus, nec illos spes illa fefellit. Tam faciles etiam et prompti ad imaginandum sumus, ut pacta quædam servemus quæ, ratione sola usis, absurda omnino viderentur, unde fit ut ii qui de arte scripserunt dialectica probatione ea damnaverint (1).

Quid absurdius quam nubes ex marmore vel ære simulare, res sine pondere gravi materia! Quod sculptor vel audacissimus David Andegavus vituperavit (2). Quod tamen multis feliciter cessit. *Equos solis* cum media in nube suspensos Robertus Le Lorrain finxit, septimo decimo sæculo, nonne opus exquisitum exegit? Sedet in nube a Pigalle factus *Mercurius*. Amnes lucidos obscuro marmore expresserunt sexcenti artifices, ut exempla proferre

(1) « Que le sculpteur veuille faire jouer et voltiger la pierre, c'est une folie si visible qu'elle porte avec elle sa condamnation. » Reynolds in C. Blanc, *op. cit.*, Sculpture, x.

(2) « Quel sentiment pénible font éprouver les sculpteurs qui essayent de simuler les nuages ou une tempête sur un fond de bas-relief! le marbre et le bronze ne sont pas faits pour traduire ce qui est impalpable dans la nature physique. » David Andegavus in Jouin, *David d'Angers*, tom. II, p. 70.

inutile sit (1). Flammam ipsam imitari non dubitavere. Velis, nolis, fateare necesse erit nihil tam remotum aq imitatione positum esse quod a sculptore aliquo simulatum non fuerit.

Denique ad descriptionem sensus cujusdam si sculptori qualibet re inanima opus est, rarissime accidet ut illam seu simulare seu commemorare nequeat.

IV° Quibus omnibus concessis, arguetur tamen sculptor a nonnullis quod frigidas et decolores imagines dederit. Toros licet tetenderit, personas plures numero consociaverit, res sensus expertes ad unguem expresserit, illi semper deficiet id unde demum a spectantibus vita agnoscatur, color. Mirifica profecto artis vis et facultas, qua nec rubor nec pallor oris redduntur, oculorum acies non acuitur. Vitam exprimere non est sculptoris, cum nihil nisi umbras creare possit quarum pulchritudinem laudemus, vivere vero eas non videamus.

Nunc itaque de colorum usu pauca subjungenda.

Plerique qui de arte sculptoris scripserunt, pingendi signa facultatem auferendam sculptori censuere. Multi de colorum usu ne locuti quidem sunt, cum illum obsoletum, sexcenties damnatum, judicarent. Carolus Lévêque in libro *La Science du Beau*, cum sculpturæ leges tractaret, silentio colores transiit; itidem in libro *Le Spiritualisme dans l'art* exquirens unde sculptura fortior exsurgere possit, rationem illam artis augendæ non aggreditur, adeoque illum coloris tædet ut, de Pallade a Simart in memoriam Phidiaci signi cælata sermonem cum habeat, illam ne commemoret quidem compluribus materiis variatam. Véron qui in opere *Supériorité des arts modernes*,

(1) Exempla liceat, inter permulta, sumere anaglypta Girardon in quibus *Nymphas lavantes* sculpsit, vel illa Bouchardon ad fontem Grenelle.

se omni timidiore vel trita opinione liberum jactat, in eamdem oblivionem accidit. Recentior Sully-Prudhomme, dignus tamen qui liberiorem se præberet, illum in hoc sequitur (1). Jouin, cujus liber *Esthétique du sculpteur* inscribitur, sculpturam coloribus carentem solam spectat (2). Ille etiam audacissimus Guyau colorum patrocinium arripere aut noluit aut omisit (3).

Alii vehementer colorum usum insectati sunt. Hegel argumentis illum damnat sua ipsius philosophia exortis (4). Schlegel illum deridet (5). Cousin, gravi illo quo solet stylo negat, non obstante Græcorum usu, sculptori

---

(1) « Le sculpteur prend pour modèle principal la figure du corps humain, abstraction faite de sa couleur. » Sully-Prudhomme, op. cit., III, v, p. 290.

(2) « Nous ne concevons que la sculpture monochrome. » Op. cit., p. 262.

(3) In libro *Les Problèmes de l'Esthétique contemporaine*, 1884.

(4) « Mann könnte daher zunächst wohl meinen, die Skulptur brauche, um vollkommener zu werden, ja nur mit dem Vorthei ihrer räumlichen Totalität noch die übrigen Vortheile der Malerei zu verbinden, und es sei eine Willkureichkeit, sich zu dem Weglassen der malerischen Farbung entschlossen zu haben... Dies ist aber kein zufälliger Mangel, sonder eine durch den Begriff der Kunst selbst gesetzte Beschränkung des Materials und der Darstellungsweise... — Es geht hier mit der Kunst wie mit den verschiedenen Wissenschaften... Zwar kommen auch in der griechischen Skulptur, an welche wir uns vornehmlich halten müssen Beispiele von mehrfarbigen Statuen vor, doch ist in dieser Beziehung sogleich der Anfang und das Ende der Kunst von dem zu unterscheiden, was sie auf ihrer ächten Hohe geleistet hat. In gleiche Weise müssen wir das abrechnen, was sich durch das Traditionnelle der Religion in die Kunst, ohne ihr eigentlich anzugehören, hinein drängt. » Hegel, *op. cit.*, Skulptur, *Einleitung*.

(5) « La sculpture renonce à l'illusion des proportions naturelles. Si l'illusion détermine la valeur de l'art, il devrait être permis de colorier des statues, et une figure de cire, avec des cheveux naturels, et peut-être avec les véritables habits de la personne représentée, devrait être préférée à la meilleure statue. » Translatum a Bénard in Schelling, *Ecrits philosophiques*, p. 391.

colores ullo modo concedi posse (1). Carolus Blanc, mira quadam cavillatione, colores variis ex materiis effectos probat (2), adductos vero penicilli artificio, sæpius damnat (3). Beulé, qui tamen in ædificiis usum colorum suscipit (4), audaciam Cordier operum fastidit (5).

Quid plura? Sculptores ipsi ut David Andegavus talia argumenta proferunt (6). Nec nostris modo ea judicandi

---

(1) « Je m'incline devant l'autorité de l'antiquité ; mais, peut-être faute d'habitude et par un reste de préjugé, j'ai quelque peine à me représenter avec plaisir des statues composées de plusieurs métaux, surtout des statues peintes... La sculpture est une muse austère, elle a ses grâces à elle, mais qui ne sont celles d'aucun art. » V. Cousin, *Le Vrai, le Beau et le Bien*, IXe leçon, *Des différents arts*.

(2) « La Polychromie naturelle, celle que produit le mélange de plusieurs matières, peut convenir à la sculpture, mais non la polychromie artificielle. » C. Blanc, *op. cit.* Sculpture, XIV.

(3) « Entre leur statuaire chryséléphantine et le coloriage des statues il y a tout un abîme. » — Si la sculpture, qui façonne ses images en ronde bosse, ajoutait à la vérité palpable des formes la vérité optique des couleurs, elle aurait avec la nature trop de ressemblance à la fois et pas assez ; elle serait tout près du mouvement et de la vie et ne nous montrerait que l'immobilité de la mort. » Id. *ibid.* — Si elle veut étendre son imitation jusqu'à la couleur, elle n'arrive qu'à enfanter des spectres inanimés et repoussants. » Id. *op. cit. Conclusion.*

(4) « Si un jour nous reprenons le goût des édifices peints, nous ne mériterons point le nom de barbares : nous aurons reconquis, au contraire, un héritage auquel nous avions renoncé, une beauté que nous avons perdue. » Beulé, *Histoire de l'Art grec avant Périclès*, I, x, p. 280.

(5) *Causeries sur l'Art.* Le goût public et la sculpture, p. 66. — « Aujourd'hui la peinture règne en souveraine : elle est aimée, payée, exaltée, et les sculpteurs doivent suivre ses traces s'ils veulent être goûtés. Il faut qu'ils aient l'action, l'expression, la couleur, le piquant, l'imprévu ; en un mot, il faut qu'ils renoncent aux principes raisonnables de leur art pour se faire peintres, malgré les conditions de la matière, et risquer de funestes tours de force. » *Ibid.*, p. 67.

(6) « Plus une statue sera coloriée avec art, plus le spectacle en sera rendu intolérable par l'immobilité de la pierre... On ne rendra jamais par l'application des couleurs sur une forme en relief cette transparence

ratio solita : et Italicos proferre sit nostris in hoc similes (1).

Candorem autem marmoris, « immobilem » (2), « purum et cælestem » (3), « immortalium vestem » (4) celebrant.

Ægre fero eos qui contrariam sententiam professi sunt, ad hunc diem tam parce quid sentirent explicasse. Nonnullos qui della Robbia opera studiis suis subjecerunt, ab illorum illecebris allectos non alienos fuisse a colorum usu indagatione conjicere possumus, quales fuere Cicognara (5), Barbet de Jouy (6), qui tamen sententiam suam quasi inviti paucissimis verbis edidere (7). Alii, ut Ray-

---

que la chair de l'homme reçoit de la vie. D'ailleurs fût-il possible de faire illusion sur ce point à l'aide d'une habileté surhumaine, l'immobilité de la statue deviendrait alors effrayante. » David Andegavus in Jouin, *David d'Angers,* t. II, p. 95.

(1) « I plastici invetriati sono da risguardarsi piutosto come un genere nuovo di produrre speditamente opere di rilievo che come un nobile acquisto, od un avanzamento par l'arte monumentale. » Milanesi, *Commentario alla Vita di Lucca della Robbia* (*Vasari Vite,* t. II, p. 190).

(2) « La blancheur immobile des pacifiques et augustes effigies. » Taine, *Philosophie de l'Art en Grèce*, II, v.

(3) « Le marbre par sa blancheur a quelque chose de pur et de céleste. » David Andegavus in Jouin, *op. cit.*, tome I, p. 514.

(4) « Aussi convient-il que la blancheur du marbre soit à l'œuvre plastique comme un vêtement d'immortalité. » Id. *ibid.*, t. II, p. 96. Confer *ibid.*, p. 8.

(5) Cicognara, *Storia della Scultura.* Libro quarto, capitolo quinto, desuetam plorat « una tanto felice antica esperienza. »

(6) « Il me souvient que regardant, par un jour d'automne, la façade de faïence du Ceppo, brillant d'un éclat équivoque sous les feux éteints du soleil couchant, je me dis avec douleur, que cet art charmant de Della Robbia qui reçut le baptême en la cathédrale de Florence, était venu mourir à l'hôpital de Pistoja ». Barbet de Jouy, *Les della Robbiæ*, 1885, p. 51.

(7) Alii contra colores respuunt. « La coloration, en donnant aux figures en relief l'aspect d'un trompe-l'œil, causait plus de surprise que d'émotion véritable et faisait d'un ouvrage de sculpture plutôt un

mond, licet haud dubius sit ejus in colorum usum favor, ne verbum quidem de hac quæstione protulere (1).

Cunctos in nostra ætate nimium oblitos colorum usus asserit Andreas Michel, illa sicca assertione contentus (2). Gonse, denique, quanquam non adeo cursim, quæstionem tamen leviter præstringit (3).

Revera, ut optime dixit Courajod (4), sine interrogatione, indicta causa damnatus fuit primum colorum usus. Ex eo enim tempore quo opera Græcorum ut exemplaria excellentia proponi cœpta sunt, nullum nisi decolor signum nobis oblatum fuit : inde abstinentia nostra, inde male instituta ratio.

Procedente autem tempore, mira amentia cæci, causam recognoscere noluerunt, novis testimoniis in dies pluribus despectis. Quibus tamen Quatremère de Quin-

---

meuble qu'un objet d'art destiné à nous élever l'esprit par la grandeur et la majesté du style. » L. Ménard, *La Sculpture,* II, I, II, p. 232. — « C'est une grosse question que nous ne saurions résoudre ; la polychromie a ses chauds partisans et ses détracteurs, et les essais de peintures monumentales faites par les modernes ne sont point de nature à engager à badigeonner les monuments. » Cavalucci et Molinier, *Les Della Robbia*, p. 4.

(1) In libro, *La Sculpture florentine.*

(2) « Nous avons trop oublié la Polychromie ». André Michel, *Exposition universelle de* 1889, *La sculpture,* in *Gazette des Beaux-Arts*, 1889, rom. II, p. 309.

(3) « La sculpture polychrome est dans les préoccupations du jour, elle pourrait bien devenir la statuaire de demain... La polychromie est, n'en doutons pas, la forme rationnelle de la plastique ; ainsi l'ont pensé les Grecs, ainsi l'ont pensé les imagiers de la Renaissance. La monochromie résultant, depuis la Renaissance, de l'imitation de marbres exhumés de la terre, n'est que le produit d'une abstraction toute conventionnelle », Gonse, *La Sculpture française*, p. 304.

(4) « La polychromie fut condamnée, tout d'abord, sans avoir été ni interrogée ni entendue » Courajod, *La Polychromie dans la statuaire,* in *Mémoires de la Société nationale des antiquaires*, t. XLVIII, anno 1887.

cy (1), quamvis parum novis rebus favens, suaserat ne aures et oculos ex industria clauderent; id vero frustra.

Græcos hodie nemo negat in ornandis templis seu in effingendis signis, coloribus usos fuisse. Quæ Quatremère de Quincy primus in notissimo libro *Le Jupiter Olympien*, oriente sæculo nostro affirmaverat, quæ Hittorf confirmaverat (2), multa Græcorum opera recentius cognita plane vera esse demonstraverunt. Colorem in Ægineticis signis suspicari èrat (3) ; nuper Athenis effossa simulacra, caputve illud jam celebratissimum Illicitanum, aut coloribus delicate adumbrata Tanagra sigilla, tota via errasse majores nostros plane demonstrant. His cognitis, scripta quædam veterum, adhuc obscura, clara fiunt. Nonnulla etiam nuper reperta, ut rationes quorumdam templorum sumptuariæ, veritatem de iis expandunt. Ex his, quis fuerit apud Græcos colorum usus, non solum conjicere, sed plane fere cognoscere possumus, eaque quæ nunc nota sunt Collignon in libello *La Polychromie dans la statuaire grecque* collegit.

Græcos scimus non solum utilitatem cepisse ex naturali variarum materiarum oppositione, sed et tritis coloribus materiæ inductis usos fuisse, marmoraque saltem solito more, ratione quadam quam illi κόσμησιν vel γάνωσιν, Romani

---

(1) « Il se peut qu'on ait limité plus qu'on ne devait les ressources naturelles de l'art et que, jugeant la question des limites de la sculpture sans connaître tous les emplois de cet art, et toutes les considérations qui peuvent légitimer certaines licences, selon la nature des sujets, la destination des monuments et les rapports matériels et intellectuels auxquels ils sont soumis, on ait proclamé comme règle invariable du goût ce que le goût a démenti jadis, et démentirait peut-être encore aujourd'hui, si l'épreuve était renouvelée. » Quatremère de Quincy, *Le Jupiter Olympien*, avant-propos, XXII.

(2) *Restitution du temple d'Empédocle à Sélinonte ou l'architecture polychrome chez les Grecs*, 1851 ; — G. Perrot, *Histoire de l'art dans l'antiquité*, t. VII. *La Grèce archaïque*, p. 572 sqq.

(3) Murray, *History of greek sculpture*, I, VIII, p. 152-153.

circumlitionem nominabant, ornasse. Quis fuerit agendi modus, quasve ob rationes ita fecerint examinare breviter operæ pretium est, cum inde judicare possimus utrum illos imitari debeamus necne.

Quam speciem præbuerint opera græca variis distincta coloribus plane scire non possumus, nam artifices non tantum ex naturali uniuscujusque materiarum colore utilitatem cepisse multa indicia monstrant. Illos eam crudam discordiam colorum quales natura fert, quam vituperat egregius sculptor Saint-Marceaux (1), fuco quodam (gallice *patine*) vitasse suspicamur (2). Scimus et Silaniona magnam laudem tulisse cum Jocastæ morientis vultum exsanguem imitatus esset (3).

Ex quibus quæ fuerit illa apud Græcos ratio, quæ iterum fieri possit, nos tantummodo conjicere manifestum fit.

Quomodo autem Græci tritos colores materiis induxerint, ex monumentis compertum habemus, nec unam aut immutatam fuisse illorum consuetudinem, sed procedentibus temporibus vel mutatis rebus eos et rationem pingendi mutasse videmus. Duplicem certe, ni plures, rationem novimus. Suffossa Acropoleos terra, opera exsurrexere quorum tota cutis, ut ita dicam, tritis coloribus operta fuit : quales *Herculis cum Typhone dimicatio* vel *Leo qui*

---

(1) « La multiplicité des matériaux employés simultanément dans la statuaire n'a jamais produit de résultats heureux. Peut-être la célèbre Minerve de Phidias nous eût-elle fait changer d'avis ; mais dans l'assemblage des produits variés que la nature offre avec profusion, il arrive presque toujours que les couleurs se heurtent trop violemment. » De Saint-Marceaux, *La Sculpture aux Salons de* 1897, in *Gazette des Beaux-Arts*, 1897.

(2) « Sans aucun doute, Phidias avait mis en œuvre tous les secrets de son art pour amortir le contraste entre l'ivoire et l'or, pour couvrir d'une chaude patine les parties nues, varier les tons de l'or, et y faire habilement jouer les colorations de l'émail. » Collignon, *Histoire de la sculpture grecque*, t. I, p. 529.

(3) Collignon, *op. cit.*, t. II, p. 344.

taurum invadit. Illis autem opponere licet alia, *sacerdotum* statuas ibidem repertas vel Illicitanum caput in quibus colores partes quasdam formarum tantum tegunt. Vestimenta sacerdotum, exempli gratia, non colore omnino cooperta videntur, sed in illis puncta vel tæniæ vel alia ornamenta colorata insunt (1).

Ex his exemplis quidem esse legitimum, Græcis auctoribus, colorum usum sane asseverare possemus, ni plerique qui hæc colorata opera inspexerunt, Græcos non animandarum statuarum gratia ita fecisse professi essent. Dicunt autem Græcos proprias ob rationes, quas invocare non jam nobis licet, colori indulsisse, cum cæli natura et aliquando materiæ mendosæ usus illos impulerit; coloribus autem non vitæ imitationem quæsivisse, cum colores non naturales, sed ex pacto electos adhibuerint ad ornandum, ceteroqui eosdem paulatim pravum hunc colorum usum repudiasse. Unde concludere licet colorum apud Græcos usum nihil in nostram artem valere. Videmus profecto Henricum Lechat qui opera colorata Atheniensium accuratissime examinavit, doctrinam Caroli Blanc, colorum hostis, non solum non improbare, sed etiam sibi suscipere (2). De his disceptare breviter nunc volumus.

Liceat tamen antea lectorem admonere, nobis non ex necessitate despiciendum colorum usum, etsi probatum esset Græcos coloribus adhibitis ornationis commoda tantum spectasse. Satis esset illos colorata opera, laudibus digna, edidisse, ut nos illa imitaremur legitime, vel consilio longe dissimili. Cum enim noster Gérôme sigillum marmo-

---

(1) Lechat, *Observations sur les statues archaïques de type féminin du musée de l'Acropole*, VII, *Polychromie*, in *Bulletin de Correspondance hellénique*, 1890, p. 561.

(2) « L'on comprend tout le mépris de l'écrivain pour ce « triste usage de singer la vie au moyen d'une coloration puérile », mais précisément tel ne fut pas l'usage des anciens Grecs. » Lechat, *op. et loc. cit.*, p. 571.

reum fingit et pingit, *Saltatricem Tanagream* imitatus, parvi refert utrum coroplastæ Bœoti consilia susceperit necne, dummodo exemplo, vel prave, usus, opus pulchrum effecerit. Quibus dictis ad argumentationem revertamur.

Ac primum adhibere colores natura cæli coactos Græcos dicitur. Beulé, cum de colorum usu in templis ageret, solem, cælique claritates et splendores prohibuisse credidit candidas permanere frontes læsis oculis (1). Quæ quidem Nageotte (2) et Lechat (3) et Collignon (4) probavere, illa proferentes a Perrot (5) egregie scripta quibus de colorum usu apud Ægyptos vel Assyrios disseruit.

Recentius ipse Perrot, cum in *Histoire de l'art dans l'antiquité*, Græcorum artes examinare adortus est, eadem se semper sentire ostendit (6).

In his partem veritatis esse quis neget? Cæli et colorum concentus artifices sine dubio propulit : eos tamen hanc solam causam habuisse dubium. In menten ultro veniunt aliæ gentes quæ sub sole frigidiore inter nubes et caliginem, statuas suas nihilominus pingere solitæ sunt. Nec Germanorum, nec nostrum cælum ita clarum ac splendidum est ut alias fuisse moris hujus causas non suspicemur. Atque eo infirmior apparet illa probatio, quod de

---

(1) « Partout la lumière, la beauté, la couleur, lumière de la beauté. Au milieu de cette société grecque, enivrée de son génie, de son ciel enchanteur, de ses arts qui grandissent..... irons-nous transporter des monuments blafards ?... si leurs façades restent blanches, elles brûlent le regard, quand le soleil y darde ses rayons. » Beulé, *Histoire de l'art grec avant Périclès*, I, x, *La Polychromie*.

(2) « Une concordance nécessaire avec le climat. » Nageotte, *La Polychromie dans l'art antique*, Besançon, 1883, p. 25.

(3) Lechat, *op. cit.*, p. 555-556.

(4) Collignon, *Histoire de la sculpture grecque*, t. I. p. 214.

(5) Perrot, *Histoire de l'art dans l'antiquité*, t. I, p. 123, 788, t. II, p. 654.

(6) Perrot, *op. cit.*, t. VI, p. 47 ; t. VII, p. 574.

statuis agitur non semper sub cælo patenti positis, sed intus in interiore sacrario quodam collocatis.

Colorum usum natum quoque esse dicunt e necessitate tegendorum vitiorum mendosæ materiæ. E tofo factæ statuæ asperæ et fistulosæ, pumicis modo, extitissent, non inducto colore (1).

Hoc quoque ex parte verum : tofum sicut fictilia signa, materias deteriores, coloribus necesse fuit emendare (2). Addunt Græcos et præcipue Athenienses, cum talia prius fecissent, deinde, mutata materia marmoreque adhibito, consuetudinem veterem quidem servasse, quam paulatim reliquerint, moderato in diem usu, nec jam profecto necessario.

Quæ quidem probabilia sunt. Quod autem moderatius statuas pinxerunt, in hoc quoque signum judicii subtilioris facti videre licet. Barbarorum et infantium est colores amare floridos, quos optimus judex respuat. Colores ardentes quibus Græci, florente sexto ante C. N. sæculo, vitam se exprimere crediderunt, crudi posterius visi sunt et ad rudes sensus apti ; satisque fuit coloribus non ita acutis, moderato penicillo parce positis, ad animos alte movendos. Talis est signi ad portam popinæ fixi et tabulæ ab egregio pictore pictæ differentia. Unum coloribus fulget acerrimis ; fiet ut altera surdis coloribus cinerea fere appareat. Cujus rei argumentum Tanagrea sigilla proferre liceat, quæ cum fictilia sint, tamen non ex omni parte coloribus tecta fuerint ; Græco quarto sæculo et in plebe nato immoderatum colorem ægre sane ferente.

(1) « Ce procédé était rendu nécessaire par la nature de la matière employée. Le tuf n'a pas l'unité de ton ni la finesse du grain du marbre. Il est piqueté de points grisâtres, creusé de petits trous, quelquefois même fendillé... Toutes ces tares étaient dissimulées par la couche épaisse de couleur. » Lechat, *op. cit.*, *ibid.*, p. 334 et 556.

(2) « ... fictilem eum [Jovem scilicet a Turiano] fuisse, et ideo miniari solitum. » Plin., *Nat. Hist.*, XXXV, 157.

Venit insuper fortius argumentum. Græcos dicunt coloribus vitam imitari nullo modo voluisse, coloribus autem ex pacto positis (1), statuas templis ipsis coloratis accommodasse, ne qua hinc discrepantia oculis ac turpitudo fieret. Cum enim in templi parte quadam sæpius ponenda essent signa, seu in fastigio, seu in metopis, seu in zoophoro, inter loca colorata, necesse fuit illa quoque pingi coloribus qui operi toto convenirent. Vel medio templo positum signum, ante muros et columnas, variis tectas coloribus, ad servandam totius templi concinnitatem coloribus tegere necesse fuit. Non igitur imitationis, sed ornationis causa ista ratio instituta (2). Similem et Medii Ævis artificibus incubuisse necessitatem monstravit Courajod (3).

Illis respondere non nisi examinatis operibus quæ invocant possumus. Quæ autem opera Lechat protulit, pertinent ad duo genera quæ separatim consideranda sunt.

In operibus antiquioribus, teste Lechat, coloribus numero perpaucis usus est artifex (4), quorum ruber et cæruleus prævalent. Adductus est color pariter toti signi superficiei sine ullo discrimine, variique colores inter se contigui rudi penicillo, nulla commissuræ et conjunctionis

---

(1) Coloratas ex pacto fuisse quasdam statuas negare non possumus, teste Plinii loco jampridem citato.

(2) « La polychromie de la sculpture à l'époque archaïque est, pour tout résumer en deux mots, *décorative* et non *imitative*. » Lechat, *op. cit.*, p. 569.

(3) « Sous le jour irisé et sous le flamboiement des vitraux, sur le fond si chaud et si coloré des murailles peintes, une surface entièrement blanche n'aurait pu s'étaler. » Courajod, *op. cit.*, p. 201-202 ; Cf. Barbet de Jouy, *Les della Robbia*, p. 31 et sq.

(4) « Du rouge, du bleu, du jaune, un brun indéterminé, du noir et du blanc... deux faits incontestables ; l'extension du coloris à toutes les parties des figures, même aux parties nues, la prédominance du rouge et du bleu, et, par suite, le caractère conventionnel de cette peinture. » Lechat, *op. cit.*, p. 553 et 555.

cura, positi sunt (1). Addit Lechat ædificia, in quibus exstabant signa illa, iisdem colorata fuisse coloribus ; unde infert colorem, alioqui rusticum, non veritatem quæsivisse (2), eamdemque fuisse in colorandis et signis et templis rationem (3). Quibus assentit plane Collignon (4). Imaginibus profecto Herculis vel Leonis spectatis, offendunt te barba herois cærulea, taurusve cæruleus, ut perdifficile videatur tam pauperi colorum auxilio homines, deos, belluas pingere voluisse. Jure vero non inde inferre possumus quæ nobis nunc ex pacto colorata videantur, eadem et antiquos artifices pacto elegisse. Pueros infantes quotidie videmus cerula miniata aut cærulea effigies describentes quas, imperitia, vividas credant. Quæ in urbe Epinal coloratæ imagines eduntur, colores, interquos cæruleus et ruber quoque prænitent, ostendunt rudes

---

(1) « Les couleurs sont étendues par larges plaques nettement séparées ; elles ne se pénètrent pas ; l'œil perçoit toujours sans peine leurs divisions. » Lechat, *op. cit.*, p. 558.

(2) « Il faut donc admettre que l'on ne cherchait pas, en coloriant ces sculptures, à copier la réalité ; le but du coloris n'était pas de faire illusion, en donnant à des hommes et à des animaux de pierre l'aspect de vrais animaux et de vrais hommes de chair et d'os. » *Op. cit.*, p. 558.

(3) « Aussi l'on pourrait presque soutenir qu'il n'existe pas, au VIIe siècle, une polychromie de la sculpture, il n'y a qu'une polychromie *monumentale* dont les principes sont identiques, ou peu s'en faut, pour tout le monument, même pour les sculptures qui y sont comprises. » *Id.*, *ibid.*, p. 559.

(4) « Cette polychromie de pure convention, et cet emploi de couleur contraire à toute réalité. » Collignon, *Les Fouilles de l'acropole d'Athènes* in *Revue des Deux-Mondes*, 1890, p. 844. — Cf. quod Sully Prudhomme de Jove Phidiaco scribit : « Les sculpteurs grecs témoignaient assez, en mêlant l'or et l'ivoire aux statues des Dieux, qu'ils ne demandaient nullement aux couleurs de concourir à l'expression objective des figures ; ces matières, par leur coloration comme par leur prix, n'étaient destinées qu'à revêtir l'œuvre d'une beauté décorative dont l'expression ne devait être que purement subjective. » *Op. cit.*, III, IV, p. 335.

sine dubio, quibus tamen pueri infantes non prohibentur eas vividas habere. Rubrum et cæruleum colorem amant pueri et barbari quia floridos. Græci in hoc pueri fuere, nec mihi dubium videtur, eos Herculis et Typhonis vultus coloribus illis superadditis horrendos habuisse. Ipse ceterum Lechat fateri coactus est artifices ex partibus quibusdam saltem, vitam expetiisse, oculos scilicet cum pingerent vel papillas (1), aut cutem colore imitarentur (2). Intelligere autem haud facile est quomodo idem artifex religione arctissima in partibus illis vel minimis de vita curasset, in summa autem operis imitari vitam omnino omisisset. Cum Carolo Diehl credo illum veritatem semper coluisse (3). Cur denique iisdem coloribus et symplegmata et templum texerit, facile intelligis cum alios non haberet : nec difficile quidem fuit iisdem uti coloribus cum ad vitam vere exprimendam in signis, tum ornamenti causa in parietibus.

Ad recentiora transgrediamur. Sacerdotum statuas si spectamus, eadem nobis objiciuntur, minus valida tamen, argumenta.

Necessitas pingendi ornamenti causa minus apparet cum illa signa non cum ædificio cohærerent. Dicunt quidem artificem tamen convenientiam ornationis spectasse. Mirum vero videtur illum præcipua, id est, statuas, circum-

---

(1) « Le souci de la réalité se fait jour dans certains détails : coloris différent des différentes parties de l'œil, cercle brun autour des mamelons, etc. Lechat, *op. cit.*, *Bulletin de correspondance hellénique*, t. XIII, p. 135.

(2) « Ces différentes parties sont nues ; elles étaient enduites d'une couleur rouge pâle, presque rose, très effacée aujourd'hui, mais dont il y a encore des traces : on avait imité par là, tant bien que mal, le ton habituel de la chair. » Id. *Bulletin de correspondance hellénique*, t. XIV, p. 431.

(3) « Le souci du réalisme éclate dans l'enluminure qui recouvre le groupe des animaux. » Diehl, *Promenades archéologiques*, p. 102.

stantibus subjecisse. Structor sciebat fore ut in templo ponerentur signa, officiumque ejus erat ornationem aptam ad illa recipienda parare, non sculptoris structorem sequi.

Ceterum in his operibus plures numero colores sunt (1), quos peritiores jam manus posuerunt (2). Signum totum non jam color occupat, caput autem, scilicet in quo vita præcipue manifesta fit, præcipue color ornat (3).

Colores tunc etiam ex pacto positos asserit Lechat, capillosque, ne de cæteris mentio fiat, rubro colore pictos : quod quidem imperitia primum explicare artificis possimus ; asserit autem Rayet, Græcos ita morem quemdam commemorasse (4). Artifex marmor jucundius oculis varietate colorum reddere tantum cupiverit (5), vitam certe statuis addidit, quam nunc etiam spectanti protinus nec ullo doctrinæ auxilio percipere est. Nos enim illecebris trahere suis athenienses statuæ facile possunt. Nemo adeo fastidiosum judicium habet quin concinnitate capiatur colorum tam verecunde positorum. Pulchritudinem et juventutem sculptor mira felicitate assecutus est. Sæcula nulla rubigine nitorem operis inquinavere. Ecce incedunt sacerdotes, longos torsæ capillos, peplo indutæ cæruleo, venustate dignæ quas Dea eligeret (6).

---

(1) « Cinq couleurs : rouge, bleu, jaune, noir et or. » Lechat, *op. cit.*, p. 563.

(2) Lechat, *op. cit.*, p. 561.

(3) « La tête est une des parties de la statue où la polychromie a le mieux maintenu ses droits, » *Id.*, *ibid.*, p. 562.

(4) Rayet, *op. cit.*, p. 292-293.

(5) « Le rôle de la polychromie consiste moins à donner la sensation de la réalité vivante qu'à rompre l'uniformité de ton du marbre, à égayer les surfaces trop claires. » Collignon, *Fouilles de l'acropole* in *Revue des Deux-Mondes*, 1890, p. 855.

(6) « Sous les tons chauds de ces riches couleurs disposées avec un goût exquis, il semble que le marbre s'anime et se fasse chair vivante et un charme étrange émane de cette figure. » C. Diehl, *op. cit.*, p. 104.

Relictis tandem his exemplis, proferre est celebratissimum Platonis locum (1), quo auctore asseverare cum Homolle (2) possumus, coloribus Græcos, vigentibus quam maxime artibus, non ex pacto aliquo sed ad vitam exprimendam usos fuisse. Sigilla quoque Tanagrea, etsi ex illis de marmoribus judicare legitimum non sit, ostendunt Græcos tritis coloribus sensus et vitam quæsivisse.

Argumentum aliud proferunt, Græcos colorum usum paulatim omisisse, extenuatumque gradatim morem postremo pæne exstinctum esse. Marmor postquam tofi locum tenuit, colorum usus, ut ait Collignon, imminutus est (3), secundasque in posterum partes recepit (4). Grave quidem argumentum, quo concludere licet colorum usum aliquid barbarum vel puerile redolere, unde facile dicas illos qui colorum usum prædicant, artem ad barbaram et puerilem ætatem redigere velle : recteque Caroli Blanc (5), Sully-Prudhomme (6) vel Hegel (7) sententias decantabis.

Licet desciverint a colorum usu Græci, cum maxime florerent artes, tamen modo aliquo illum servaverunt, conatusque est nuper vir doctissimus Treu in urbe Dresda

---

(1) *Reipublicæ*, IV, 420, c.

(2) Homolle, *Comptes et inventaires des temples déliens en l'année 279*, in *Bulletin de Correspondance hellénique*, t. XIV.

(3) « Quand le marbre remplace le tuf dans l'architecture, la polychromie tend à décroître. » Collignon, *op. cit.*, p. 847.

(4) Id., *ibid.*, p. 855.

(5) « L'usage de la polychromie en sculpture remonte aux temps barbares, à ces temps où les pauvres d'esprit se représentaient leur dieu comme une personne riche couverte de bijoux et de colliers..., née d'un instinct sauvage, elle ne pourra jamais faire oublier entièrement le vice de son origine. » C. Blanc, *op. cit.*, Sculpture, XIV.

(6) « Il est possible qu'à l'origine de la statuaire, l'artiste ait essayé de peindre le bois ou la pierre pour imiter plus exactement la nature, mais il n'a pas prolongé cette tentative. » Sully Prudhomme, *op. cit.*, III, VI, p. 334.

(7) Hegel, *op. cit.*, Einleitung, p. 361.

opera quædam Praxitelis et aliorum clarissimorum Græciæ artificum in pristinam dignitatem coloribus repetitis restituere (1). Celebratissimus ille Alexandri Sarcophagus (2) viguisse usque ad tertium prope sæculum hunc usum renovatumque, opacis et lucidis adhibitis, summo cum judicio, coloribus, plane monstrat.

Candorem saltem naturalem marmoris semper vitavere Græci, fuitque hæc gratia κοσμήσεως ut, quod egregie dixit Blumner, amictu veluti quodam marmor tegeret (3). Quantum autem apud eos hæc circumlitio valuerit, testis celebratissimus de Praxitele et Nicia Plinii locus (4); testes rationes templi Deliaci (5). Barbarum si fuisset marmor pingere, barbarorum usum certe non solum extenuassent, sed penitus repudiassent Periclis æquales.

Qui demum, Græcorum exemplo invocato, quasi legem universam proferunt colorum usum procedentibus artibus imminui, obliviscuntur apud alias gentes quasdam longe aliam fuisse rationem. Italorum Tuscorumque artem si respicimus, comperimus, vigente jam arte, Lucca della

---

(1) Quæ tentaverit Treu, Collignon, in libro *La Polychromie dans la Sculpture grecque*, commemorat, adhibitus imaginibus.

(2) « Loin de décliner, la polychromie a trouvé au contraire des ressources nouvelles. » Collignon, *Histoire de la Sculpture grecque*, II, p. 410. — Th. Reinach, in *Gazette des Beaux-Arts*, 1892, t. II, p. 184. — Contra hæc Dimier, *La Polychromie dans la Sculpture grecque*, *Revue archéologique*, t. XXVI.

(3) « Ein undefinirbares Etwas, wodurch ein Lokalton hergesteller wird, der das einfach natürliche des Steins auflebt und eine Art Epidermis an seine Stelle stellt. » H. Blümner, *Technologie und Terminologie der Gewerbe und Künste bei Griechen und Rœmern*, t. III, p. 202.

(4) Plinii *Nat. Hist.*, XXXV, 133.

(5) Holleaux, *Les Fouilles du temple d'Apollon Ptoos*, in *Bulletin de Correspondance Hellénique*, t. XIV, p. 185. — Homolle, *Comptes et inventaires des temples déliens en l'année* 279, *ibid.*, p. 497. — Quæ jam scripserat Quatremère de Quincy vide : *Le Jupiter Olympien*, I, VIII.

Robbia quinto decimo sæculo rationem invenisse smalto cretam tegendi. Cum autem primum candido et cæruleo colore usus tantum esset, imitatores posthac et successores alios adjunxerunt quibus vitam imitarentur (1). Apud eos ita colorum usus crevit. Hispanos præterea si considerare vis, illos videbis postquam Medio Ævo coloribus usi sunt, hunc morem non solum non postea repudiasse, sed ne extenuasse quidem. Alonzo Cano enim aut Montanez qui septimo decimo sæculo floruerunt, opera picta sunt sicut illa, duobus vel tribus sæculis antea facta : coloribusque apud eos libere et copiose usi sunt qui, octavo decimo sæculo, templa Churrigara vias secuti ornavere.

Ceterum ni artifices recentiores cæca artis Græcorum reverentia, quasi Medusæ capitis contemplatione, stupuissent, non opus fuisset a Græcis picta reperire falsas opiniones ut ponerent. Licet enim nullius ponderis essent opera Græcorum ad artem pingendarum statuarum confirmandam, innumera aliarum gentium opera huic facile firmo adminiculo fierent.

His vero ne intelligantur opera orientalia, cum hæc videre recentius nobis datum sit, et præterea inter nos et Orientales homines tanta animi et judicii sit diversitas; quæ tamen opera sculptores peropportune scrutarentur : simulacra Deorum auro superfusa, nitidissimis induta coloribus, quæ vivida saltem, ne pulchra dicam, fatemur plerumque, etsi in illis nos multa etiamnunc offendunt aut fugiunt.

Relictis Seribus, nonne Ægyptiorum signa, nonne Me-

---

(1) « Ils augmentèrent le nombre des couleurs et colorièrent les chairs et les draperies, sans se préoccuper aucunement des conditions de la sculpture et, par degrés insensibles, leurs faïences qui d'abord avaient des reflets purs et blancs comme ceux du marbre, descendirent au niveau des ouvrages de cire. » Perkins, *Histoire des Sculpteurs Italiens*, e translatione Haussoullier, t. I, p. 231.

dii Ævi præcipue, nos ad colorandum hortabantur? Quæ Ægyptii de lapide molli effinxerunt signa, coloribus ornata sunt qui vetustatem inviolati passi sunt. *Scriba duplicatus* eadem, sine dubio, condicione manet qua e manu artificis exstitit; cujus ea est veritas ut laudare coegerit illos qui colorum usum in opere recentiore repudiassent. *Scriba* autem a consuetudine Ægyptiorum non discurrit : exemplo nobis sit operum e materia molli ab illis fictorum, ut plane appareat sculptores vel scriptores nostros, si illa spectassent, jamdudum coloribus assuevisse.

Nec Ægyptios vero, nec Seras magistros sibi assumere debuissent oculi qui non de industria cæci fuissent, cum Medii Ævi artifices, majores nostri, tot opera digna laudibus apud nos fecerint.

Basilicarum frontem variis coloribus inductam fuisse multa indicia demonstrant ; præterea hoc nobis contigit ut non excogitatione solum artificia colorum suspicari possimus. Multa etenim exstant intacta aut vix polluta quæ et puer infans mirari potest. Quis in Ambianensi basilica illa non libenter conspexit opera, variis coloribus vivida, quæ vitam Sancti Firmini, Sancti Salvii, vitam et Sancti Johannis Baptistæ narrant! Illa quidem sexto decimo sæculo facta sunt ; artem vero multos antea per annos perfectam indicant. Ne exempla longinquiora conquiram, in museo Divionensi mihi quotidie intueri licuit illa quæ altaria vectabilia ducum Burgundionum vocari solent. Illis altaribus perpauca opera adæquaveris ubertate, ordine, studio : inauratæ depictæque personæ oculos spectantium detinent. Una est omnium sententia : egregii artifices ejusmodi opera edidere.

In libello celebratissimo Courajod confirmavit hunc colorum usum non fuisse arbitrio quorumdam, negantibus aliis, assumptum. More autem universo, medii Ævi (1) et primi Renovationis temporis ante Michel An-

---

(1) « L'étude sincère et rigoureuse des monuments prouvera que le

gelo (1) artifices statuis colores illeverunt : tantusque erat colorum honos ut multis testimoniis compertum sit cælatorem et pictorem pari operis mercede persæpe remuneratos fuisse (2). Multa nobis medii ævi coloribus orba videntur quæ ab ignaris vel perfidis veste sua fulgenti spoliata fuerunt (3).

Non me fugit multos illa miratos opinari digna tantum esse quæ laudentur, non quæ imitationi proponantur. Mihi autem parum constanti argumentatione uti videntur nec intelligere possum quomodo quæ olim in hoc genere facta, pulchra et mirabilia, quæ nunc, turpia et damnanda videantur.

Sunt denique artifices de quibus tam fastidiosum judicium nemo proferre audeat, clarissimi scilicet Tusci Della Robbia. Opera ab illis e Faventina terra ficta, nemo adeo ferus est quin miretur (4).

His exemplis superaddere possim ea quæ in Hispania videre est, pauci autem adspexerunt, Montanez aut Alonso Cano, ut summos memorem, opera. Quæ quamlibet opinionem audacia, veritate superant (5).

Illis invocatis operibus, ei argumento respondere licet

---

principe de la polychromie de la sculpture fut une des lois les plus impérieuses de l'art, pendant tout le moyen âge et le premier quart du seizième siècle. » Courajod, *op. cit.*, p. 193.

(1) Id., *ibid.*, p. 227.

(2) « Le prix est égal entre les deux artistes, peintre et sculpteur. L'apposition de la peinture n'était donc pas considérée comme une opération secondaire, de valeur négligeable. » *Id.*, *ibid.*, p. 214.

(3) Id., *ibid.*, p. 197 et 198. — Cf. Quatremère de Quincy, *Le Jupiter Olympien*, I, VI.

(4) Vasari « ... Onde ne venne arrichito il mondo e l'arti del disegno d'un arte nuova utile e bellissima ; ed egli di gloria e lode immortale e perpetua. » *Vite*, ed. Milanesi, t. II, p. 185.

(5) Unum de his signis nunc cognitum et pictura vulgatum, Sancti Francisci Asisinatis simulacrum, olim in Basilicæ Toletanæ thesauro servatum.

quod proferre solent colorum detrectatores cum, ad hos irridendos, ejusmodi simulacra cereis simulacris coloratis assimulant (1). Fingunt enim se nullo alio modo colorata signa concipere nisi cereis simulacris quæ horrenda canant (2). Sine dubio improbis argumentis digladiantur. Qui coloribus utitur non ideo cogitur puerilem imitationem vitæ tentare; levi adumbratione candorem marmoris vix tegere vitamque modo commemorare potest; quod jam professus Quatremère de Quincy frustra est.

Hispanorum autem exemplo innixi affirmare possumus, cum artifex aliquis coloribus in jus assumptis, vitam ipsam reddere voluerit, modo valenti et fervido ingenio sit, laudanda opera eum edere, nedum, ut affirmant, horrenda. Mihi perodiosa sunt illa in templis Neapolitanis rudi manu fervidis coloribus depicta simulacra. Christum autem in ecclesia cathedrali Hispali a Montanez factum, vel illum a Torrigiano sanctum Hieronymum in Museo Hispalensi, magnis laudibus efferendos arbitror.

Tot exemplis e Græcis, Ægyptiis, Seribus, Italis, Hispanis, nostris operibus excerptis satis liquet sculptori colorandi facultatem tribuendam esse sine ulla exceptione. Jam sculptores nonnulli, ut Gerôme, ut Ferrari, ut Barrias, in viam novam ingrediuntur. Jamque tempus oritur quo nemo colorum in sculptura usu obstupescet.

Qua facultate descriptionem sensuum faciliorem plenioremque fieri nemo certe dubitabit (1).

V° Una re tantummodo sculptor impeditur : aera circumfusum mutare nullo modo potest. Diogenem Alexandrum sibi solem præcludere vetantem non exprimet ; frustraque in hoc Puget noster elaboravit (2). Psychen cum

---

(1) Cf. Quæ de templis colorandis scripsit Perrot, *Histoire de l'Art dans l'Antiquité*, t. VII, p. 589-590.

(2) « Si le grand Puget eût eu autant d'esprit que de verve et de science..., il se fût aperçu avant de prendre l'ébauchoir que son sujet

lucerna si fingit artifex, illi circumdare noctem non potest. Eveniet quidem ut sculptor opus in loco constituto ponere possit, ibique variis artificiis lumen ad consilia sua trahat. Ita Falconet in basilica Sancto Roch dicata Calvariæ lumen certa ratione infudit ; itidem et videre est in basilica Sancto Nicholao de Chardonnet dicata, Lutetiæ, Virginem lumine quasi divino superfusam. Rarissima autem hæc sunt opera nec quæ exemplorum loco proferre sit. Plerumque sculptor mentis cogitationem et auxilium flagitare debet, quæ quidem nunquam timendum est ne illi deficiant. Mente fingimus ventum, imbrem, æstum, frigus. *Alsiosa* nostris Houdon scimus cur frigeat ; inflatasque tunicas intelligimus vento tumescere. Quin sculptor nuper fossorem subterranea in vena, vapore pestilenti suffocatum, imitari sola figura tentavit, nec defuit audaciæ illius fortuna. Attamen offendit nos sæpe inter consilium operis et aera percepta diversitas. Versaliis, pluvia ruente Apollinem miramur corpus abluentem ; summa in æstate *Hiemis* figuram a Legros fictam ridendam putamus ; hiberno rursus tempore, nymphas miseramur nudatas.

Quorum sensuum, quos vel inviti conceperimus, sculptor rationem habebit ; ne tamen propterea libertatem suam circumscriptam credat, contentus iis de proposito non adversari.

Terminos omnino nullos materiam sculptori statuere ea disputatione monstrasse nos non gloriamur ; campum autem illi spatiosiorem quam vulgo creditur patere monstravimus ita ut non facile inveniatur sensus quilibet cujus descriptionem adoriri nequeat.

était le plus étrange que la sculpture pût choisir ; dans cet entassement d'hommes, d'armes, de chevaux et même d'édifices, il a oublié qu'il ne pouvait introduire l'acteur le plus essentiel, ce rayon de soleil intercepté par Alexandre et sans lequel la composition n'a pas de sens. » Eug. Delacroix, in *Revue des Deux-Mondes*, 15 junii 1857.

(1) Opus videre est in horto Luxembourg prope Patrum Conscriptorum Ædes.

CAPUT TERTIUM

DE ANAGLYPTIS — SIVE DE SCULPTURA CUM PICTURA COMPARATA

Hactenus de signis tantummodo nobis sermo fuit ; nec usquam anaglypta exempla protulimus. Quod consulto fecimus ne quid in argumentatione nostra ambiguum videretur. Confuse enim disceptatum fuisset de duabus artibus quarum ratio diversa est, nulliusque momenti fuissent crustæ ad signorum leges cognoscendas.

Nunc autem cum de signis quid sentiremus satis fuse explicuerimus, tempus est quo de anaglyptis sermonem aggrediamur : nobis monstrare facile erit, quæ concessa sint signis, eadem et anaglyptis concedenda, majoremque etiam esse sculptoris in anaglyptis libertatem.

Anaglypta a signis in hoc discrepant quod formas non imitantur, sed interpretantur. Gypsoplastes quivis e gypso madido, manu vel inscita, signum imitari potest ; haud potest quisquam, nisi arte meditata, anaglypta effingere ; formas enim ad planum fere redigere non valet machina quamvis perfecta, sola hominis industria potest.

Inde consequuntur multa ad propositum nostrum gravissima quibus omnibus latius sculptoris extenditur libertas. Itaque, repetitis argumentis quibus in superiore capite egimus, nova et largiora, quod ad anaglypta attinet, respondebimus.

Primo librandi ratio non eadem. Cum enim res non jam imitentur sed interpretentur, imaginem facile est condere, omni propemodum pondere liberam, qua cogitationi nostræ immane pondus depingas. Polyphemum saxum ingens levantem si fingis, saxum illud horrendum eminentia levi commemorari potest, qua planum vix excrescat.

Hoc autem de librandi ratione insuper addemus : non incumbunt in basim anaglypta, sed parieti cuidam innituntur. Libra itaque ad perpendiculum non directa est. Anaglypta leges effugiunt quæ res, quæ signa opprimunt.

Faunum saltantem fingere si vis, gestu solutiore jactatum depingere tibi licet, signum si faceres difficillimum opus, tibi autem in anaglyptis tam promptum, quam si recubantem depingeres ; quin et salientem exprimendi data est tibi potestas. Deum suspensis alis volitantem, Icarum cælo decidentem, Virginem christianorum in auras assumptam, impedimento nullo superando cælabis. Sic Ghiberti Florentini Baptisterii portas cum cælaret, sic et Triquetti in portis templi Lutetiæ Sanctæ Magdalenæ dicati, Deum patrem ostendere. Sculptor itaque qui signum facere voluerit, cum nullam materiam nactus fuerit ad propositum suum idoneam, ideo non desperabit ; sed de consilio desistens opus undique liberum faciendi, anaglyptis propositum sine negotio exsequetur. Re vera ferme nihil mutari cogetur : illi satis erit opus inceptum parieti apponere.

Qua libertate efficitur ut anaglyptorum sculptori, materiam cum eligat, librandi difficultas minimæ curæ sit. Impedimenti nihil ex materia qualibet nascitur ; parvi interest utrum materiam duriorem an fragiliorem eligat, nec est cur modum exiguum operi imponat. Ideo vero non dixerim materiæ delectum nullius fieri momenti : ducatur vero sculptor solo operis decore, ac congruentia anaglyptorum et ædificii.

De arte quidem librandi anaglypta nulla disceptatio esse potest ; nunc autem inspicere volumus rem de qua, quod ad anaglypta attinet, acerrimis jurgiis contendunt : scilicet utrum in anaglyptis personæ uno an multis abscedentibusque ordinibus ponendæ sint.

Quærenti num anaglypta personas multas recipere possint haud dubium dabitur responsum. Manifesto anaglypta innumeras personas patiuntur, cum nullum finitum modum habeant, totumque templum circumdare ut Parthenonem possint. Qua ratione autem personæ ordinari debeant, hoc est de quo litigatur. Græci, cum maxime apud eos artes florerent, omnes personas in promptu esse voluerunt ita ut figuræ succedere viderentur aut juxtapositæ stare. Ista ratione autem assumpta, multa sculptori impedimenta oriuntur. Pompam illi facile est longo ordine inducere, qua populus totus, ut in Panathenaïcis, incedat. Majestatem, gravitatem, quietem facile depinget. Luctantes autem aut dimicantes aut vehementiore quolibet motu agentes reddere, maximi laboris illi erit. Juxtapositos etenim multos quomodo uni rei implicaret ? cogitur sejunctis personarum globis rem quasi solutam dispertire. Ita Phidias cum ad Parthenonem Lapithas cum Centauris dimicantes monstrare vellet, fabulam singulis symplegmatis expressit. Unaquæque metopa, ab altera triglypho sejuncta, Lapitham unum Centaurumque continet. Non defuere qui laudarent inexhaustam Phidiæ fingendi vim, cum mira varietate varias certaminis fortunas ad unam ostenderit. Sine dubio tamen, libertas latior illi si fuisset, totum prælium ardore et impetu majore explicasset.

Zoophorus templi Phigaliæ, cum non solutis symplegmatis pugnam Amazonarum depingat, tamen non prælium unum, sed complura ordine posita ostendit, quæ vix inter se vincula levia et vana conjungunt. Similis pugnæ Amazonarum in Mausoleo ratio.

Advenit quidem ut sculptor, talibus impedimentis

quamvis constrictus, opus vividum tamen efficeret. Qui Gigantomachiam Pergamensem fecere implicatis personis, ita vehementem scripsere fabulam ut ferventiorem cogitare nequeas. Mira artis felicitas. Deos autem non ita multos, paucos vero Gigantas finxerunt : propositum illi si fuisset multitudinem pugnantium exprimere, defuisset ingenium, artis deficientibus facultatibus.

Quid, si e longinquo progredientes, vel late fugientes describere velis? Antecedentes vel sequentes significare vetitum. Distantes denique aliquo inter se recessu nullo modo a te depingi volunt (1).

Quæ Græci ipsi observavere, cum perfecto peritioris artis usu liberiores facti fuerunt, cumque non modo templis, sed aliis locis adhibenda fuere anaglypta, quæ gallice *bas-reliefs de cabinet* nominamus. Cum enim non jam anaglypta partes ædificii semper inhærentes et inseparabiles fuerunt, tabularumque pictarum loco ad domos ornandas collocata sunt, nova iis effingendis ratio assumpta est, non antea usitatis virtutibus sculpturæ commoditate nova petita (2).

---

(1) Quæ vivide expressit Perrot, in *Journal des Savants*, 1899 déc., p. 757 : « Le sculpteur est tenu de simplifier la représentation... Le théâtre de l'action n'est pas non plus défini par des accidents de terrain, par des plantes ou par des arbres, par des édifices que le ciseau aurait sculptés sur le fond. »

(2) Courbaud, *op. cit.*, p. 274 : « Pour que le paysage pût aisément trouver place dans la composition, il fallait reculer les fonds, creuser les parois, recourir à plusieurs plans..... Pour faire tenir tant de choses dans un si petit espace, force a bien été, puisqu'on ne pouvait les étaler en surface, de les disposer en profondeur. De là une saillie beaucoup plus vigoureuse des premières figures, dont certaines parties se détachent même parfois complètement en ronde bosse ; de là toute la dégradation des plans, du plus haut relief au plus bas, ou le brusque passage de l'un à l'autre, un modelé tantôt très ressenti, tantôt si faible, que les objets ne sont plus sur le fond que de simples contours sans épaisseur ou même des traits comme gravés à la pointe. »

Formas extenuare aut complanare anaglyptorum artifex multimodis potest : formam fere veram exprimere potest, vel paulum complanatam ; potest etiam, ut Florentini sæculo quinto decimo fecere, formam vix commemorare plano propemodum aut vix sinuato marmore (1). Fastigii, zoophori, metoparum Parthenonis diversa est ratio. Alia exempla permulta proferre sit : anaglypta inter formarum integram et curvam imitationem, aut descriptionem in plano versantur. Illorum imitationis generum non tantum uno separatim ab aliis uti legitimum ; in eodem opere varias rationes jungere licet. Junctis efficitur ut, mentis auxilio, personas propius esse credamus quæ pleniore forma fictæ sint ; longius autem abesse quæ extremis lineis designatæ. Horizonta si allevas, ut solum longius videre sit, oculo spectantis quasi altius posito, remotior ultima pars ante oculos obversabitur.

Ita perfacilis anaglyptorum sculptori rerum descriptio fit, quam signorum faber vix consequebatur. Ædes, sylvas, montes, quorum signorum sculptor vix partem exiguam reddebat, anaglypta plane commemorant. Prospectus leges efficiunt ut eadem sit anaglyptorum sculptori ac pictori libertas. Non solum Medii Ævi artifices quibus æquum fuit mensuram adulterare, arbores seu domos minores hominibus fingere, sed etiam qui sibi minus indulgent, facultate fruuntur pæne nullis legibus adstricta. Prospectu ad infinitum extenso, finis nullus artifici imponitur.

Quibus ex virtutibus commoditatem ceperunt sculptores ævi hellenistici. Operum illorum si celeberrima, ut anaglypta Grimani (2), spectas, recte dicas illos statim ad perfectam artem accessisse, ita ut nonnulli illa anaglypta

---

(1) Alto, mezzo, basso relievo e stiacciato. Perkins, *Les Sculpteurs Italiens*, e gallica translatione, vol. I, p. 160.

(2) Quæ multi ediderunt, recentius autem Courbaud, in opere citato.

ab Italis quibusdam incognitis, sexto decimo post C. N. sæculo facta credere potuerint. Romani qui anaglyptis historiam suam commemorare voluerunt, recedentibus, ut Græci, usi sunt, sed cum opera innumera tali ratione fecerint, artem subtiliorem quam quæ cum eis conveniret tamen non auxerunt, potius vero in deterius traxere. Personas apposuere vel superposuerunt prospectus legibus despectis, ut qui antecedentes vel sequentes, pari modo, simili statura cælaverint. Ni alia essent ad recedentia probanda, præter Trajani columnæ anaglypta, prima fronte ab omnibus non inurbanis damnanda essent.

Fuit Medii Ævi multiplex et liberrimus usus : artifices cum vitam assequi ante omnia propositum haberent, viis simplicissimis et audacissimis usi sunt. Statuas cum anaglyptis miscuerunt, nullam naturalis convenientiæ partium rationem habuere, fuitque sæpe audacia felix in eventu : hanc vero prudentioribus et doctioribus nobis imitari non licuerit.

Italorum fuit et præcipue Ghiberti veterem renovare Græcorum scientiam et manu peritissima et exquisita perfectam abscedentium rationem in artem accire. Nicolaus jam Pisanus, sarcophagos romanos imitatus, anaglypta personis innumeris obruerat, incomposita turba (1) ; ortus erat autem post eum Andreas Pisanus qui ad simplicem Græcorum quinti sæculi morem regressus anaglypta paucis personis decoraverat juxta stantibus (2). Ghiberti, cui hæc haud ignota, sæculo quinto decimo, crescente undique arte, ne illius inventa inclinantis temporis vitia dicas, non artem quidem novam, ut dicit Rey-

---

(1) Marcel Reymond, *La Sculpture florentine*, t. I, II, I, p. 117.

(2) « Tel qu'il fut constitué par lui, le bas-relief d'Andrea est une des plus belles formes de l'art moderne ; nulle part dans la suite, cette forme ne réapparaîtra avec la même pureté. » Marcellus Reymond, *La Sculpture florentine*, t. I, II, I, p. 117.

mond (1), invenit, abolitam autem ex hominum memoria puram renovavit.

Januas ab illo cælatas si spectas, proximas in promptu positas esse quasdam personas credis, alias longo intervallo distantes (2). Illa intuere anaglypta quibus captam urbem Jericho monstravit : saxa ferentes proximos videbis, quorum forma fortiter expressa est : retro, tabernacula, levius depicta ; longius, Judæorum pompam tubis canentibus ; mœnia denique urbis ære vix inscripto. Abelis et Caïn vitam in aliis anaglyptis Ghiberti explicuit. Arantem Adam bovesque ducentem plena pæne forma fecit ; rursus Caïn et Abelem sacrificantes summo in monte vix delineavit. Decem illa anaglypta ad unum oculis perlustrans, similia artificia pari successu adhibita videres (3).

Formam hanc artis novam vel renovatam fecundamque, quatuor jam sæculorum sculptores imitati sunt. Tali ratione, Johannes Bononiensis januas Pisani templi fecit, anaglyptis et ornavit basim statuæ Cosmi Primi vel *Sabinæ raptæ* (4). Bernini et Algarde tumido cælo parietes immensos animaverunt. Apud nos tympana templi Sancto Michaeli dicato Divione, templi Sancto Johanni dicato Lugduni, quæque Rotomagi ædes Bourgthéroulde ornant, inter innumera proferre satis superque erit, Ghiberti artem imitata. Artemque apud recentiores non amissam egregie monstravit nuperrime Dalou, cum *Conventum Generalem* sculpsit.

---

(1) Id., *op. cit.*, t. II, p. 57.

(2) Id., *op. cit.*, t. II, p. 98.

(3) « En sculpture, le style pittoresque que nous avons entrevu déjà chez quelques maîtres du XIV^e siècle, est bien vraiment, dans sa forme définitive, l'œuvre propre de Ghiberti, œuvre extraordinaire, destinée à avoir des conséquences qui s'étendront dans le monde entier et persisteront jusqu'à nos jours. » Marcel Reymond, *op. cit.*, t. II, p. 47. — Cf. p. 59.

(4) Quorum operum imagines videre est in libro Abel Desjardins, *La Vie et l'Œuvre de Jean Bologne*.

Tot et tanta opera prohibere quidem deberent artem illam condemnari unde orta sint : fueruntque tempora quibus Vasari illa laudare sine ulla exceptione potuit (1). Attamen, jam sexto decimo sæculo, Johannes Goujon illorum libertatem abnuit et ad veterem Græcorum simplicitatem revertit. Michel-Angelo, qui tamen Ghiberti tantis laudibus extollit, sculptorem vetabat pictas tabulas imitari (2). Octavo decimo sæculo Falconet opera Algarde patrocinio tutari debuit contra multorum clamorem (3). Anaglypta Phidiaca ab Elgin, oriente sæculo nostro, in Britanniam relata, tantus denique favor usque ad nostrum tempus prosecutus est (4) ut universa fere omnium illorum qui de arte scripserint sententia condemnata sit a Ghiberti instituta ratio. Schelling (5) si interrogas, vel Carolum Lévêque (6), vel Carolum Blanc (7), vel Per-

---

(1) « In vero si puo dire che questa opera abbia la sua perfezione in tutte le cose, e che ella sia la piu bell'opera del mondo e che si sia vista mai fra antichi e moderni. » [De januis Ghiberti agitur]. Vasari. *Vite*, ed. Milanesi, t. II, p. 242.

(2) Bottari, *Lettere pittoriche*, t. I, p. 7.

(3) « Les sculpteurs anciens sont nos maîtres, sans doute, dans les parties de l'art où ils ont obtenu la perfection : mais il faut convenir que dans la partie pittoresque des bas-reliefs, nous avons peu d'égards à leur autorité..., il appartient au goût et au génie d'étendre le cercle trop étroit que les anciens ont tracé dans leurs bas-reliefs. » Falconet, *Réflexions sur la Sculpture* (œuvres complètes, III, p. 28-29) ; — cf. Benoît, *Quas opiniones et quas controversias Falconet de arte habuerit*, 1897, p. 22-23, 31, 71.

(4) Guillaume, *Considérations sur les principes et l'histoire du Bas-Relief* in *Essais sur la théorie du Dessin*, p. 136.

(5) « Les envahissements de la sculpture sur le domaine de la peinture ont pour résultat la corruption de l'art. » E translatione Bénard, Schelling, *Ecrits philosophiques*, p. 270.

(6) « Quoi que fasse la sculpture, le marbre lui refusera toujours la profondeur de l'espace, l'effet du lointain, en un mot la perspective aérienne. » C. Lévêque, *La Science du Beau*, III, III.

(7) « L'art grec... s'est imposé volontairement des limites qu'il est dangereux de franchir même quand on possède le génie d'un Ghiberti. » C. Blanc, *op. cit.*, Sculpture, XIII.

kins (1), vel recentiores Jouin (2) aut Salomon Reinach (3), omnes in hoc consentiunt; sculptoresque qui de arte sua scripserunt non aliter sentiunt. David Andegavus, nosterque Guillaume, breviter ille (4), copiose alter (5), iræ Caroli Blanc assentiunt.

Quas igitur ob causas eorum arbitrio nefas sit abscedentia in anaglypta introducere breviter quæramus. Dicunt anaglypta ad ornandum parietem fingi, ridiculumque esse scænographia late patenti parietem simulate excavare quem ornare vis (6); — prorsus, sculptorem ita pictorem male imitari, imparique cælo usum tentare quod facile penicillo perficeret; — despecto itaque usu recentiore depravataque

(1) « Il est impossible, même au sculpteur le plus hardi, qui n'a ni l'étendue qui place les objets dans leurs rapports respectifs, ni la couleur, ni les oppositions d'ombre et de lumière pour graduer les distances, de conserver aux figures principales leur valeur propre et de produire cette illusion d'optique à laquelle arrive le peintre. » Perkins, *Les Sculpteurs Italiens*, e translatione Haussoulier, t, I, p. 161.

(2) Jouin, *Esthétique du sculpteur*, XI, *Le Bas-Relief*, V. « Une scène, un groupe, un plan, telle est dans son expression rigoureuse la loi du bas-relief. » Cf. XI, VI et XI, VII.

(3) « Les bas-reliefs de la colonne Trajane prêtent à des critiques sérieuses. Surchargés de figures, admettant la multiplicité des plans, représentant des détails de paysage ou des édifices avec une disproportion choquante ou une perspective défectueuse, ils s'éloignent autant que possible du beau style des bas-reliefs grecs et marquent la confusion totale de la peinture et de la sculpture, erreur de goût qui se montre déjà dans les œuvres de la Plastique Alexandrine et que toute la Renaissance a partagée. » Salomon Reinach, *La Colonne Trajane au Musée de Saint-Germain*, 1886, p. 36.

(4) « L'entente des bas-reliefs a toujours été vicieuse depuis que les statuaires se sont affranchis des principes posés par Phidias. — David, in Jouin, *David d'Angers*, t. I, p. 114.

(5) Guillaume, *Considérations sur les principes et l'histoire du Bas-Relief*, passim in *Essais sur la théorie du Dessin*, p. 122 et sqq.

(6) « Leur goût [de Græcis agitur] leur interdisait de rompre la gravité de l'architecture par des imitations de tableaux qui paraîtraient percer la muraille. » C. Blanc, *op. cit.*, Sculpture, XIII.

consuetudine, opus esse redire ad Græcorum usum.

In hac argumentatione partes sunt duæ, altera qua anaglypta cum picturis comparantur; altera qua quid ad ornandos parietes sit aptum quæritur. Has ordine considerare volumus.

Primum si quidem omnia anaglypta parietibus imprimenda sunt, non tamen ideo parietem ornare præcipua semper cura fuit sculptori (1). Fit ut, ante omnia, artifex murum nudum tegere vel, ut ita dicam, vestire propositum habeat. Quod fuit sine dubio sculptorum Græcorum in fingendis zoophoris consilium. Personas induxere eodem animo quo et cauliculos finxissent. Alii autem opifices non jam de operis loco et utilitate, verum de opere ipso curavere.

Opera igitur sua ut tabulas habuere quas etsi ad parietem aliquem suspendere debeas, ipsas considerare consuevimus. Puget noster cum Alexandri et Diogenis colloquium faceret, num secum reputaverat quo in loco mansurum opus suum esset? Medii Ævi sculptores qui super altari vel ad chori parietes vitam Virginis seu Sanctorum delineabant, num de ornandis altaribus et parietibus cogitabant? nonne potius fidelium animos movere et docere cupiebant?

Rursus, si sculptor parietem ornandum præcipue curat, rogamus utrum cogitationis vis ea sit ut simul parietem simulate excavatum et, re vera, intactum et plenum scire possimus necne (2)? nonne experiendo didicimus nullo modo corrumpi concinnitates templi cujus parietes pic-

---

(1) Quod tamen Guillaume asseverat (*op. cit.*, p. 123) dum scribit : « La première obligation à laquelle le bas-relief est tenu de satisfaire, c'est de remplir parfaitement et conformément aux lois de l'art l'espace qui lui est affecté, et ensuite d'y représenter les objets dans des conditions de style, de proportion et de saillie, qui soient bien en rapport avec le monument dont il fait partie. Ces conditions doivent être prévues et déterminées par l'architecte. »

(2) « On connaît le mot de Lefuel au sculpteur Carpeaux. Le fronton

turis prospectus longinquos exhibentibus tecti sint? Num Pantheum Parisiorum inspicientes picturis turbati sumus; num nos turbant in Vaticano cameræ a Raffaelle depictæ? Eadem detur marmori venia! Cavillatoris est aliquam rerum in usu illo repugnantiam invenire. Nemo, ut opinor, Ghiberti januas spectans, anaglyptis aheneam molem excavatam questus est. Non adulteratam artem, sed propagatos a recentioribus artis fines potius credidissent, qui non sententias abstrusiores, sed opera ipsa respexissent.

Adhibito aliunde colorum usu, quo sicut signa, anaglypta ornari volumus, nihil quidem sculptorem detinebit quin quoslibet hominum sensus, vitamque integram reddere possit.

Finibus vero anaglyptorum continuo progressu prorogatis, sensim anaglypta ad tabulas pictas æquiperavimus, ita ut, ad extremum argumentationis progressi, nullo fere puncto eas inter se discrepare velimus. Fiunt anaglypta veluti picturæ quædam cælatæ, complanataque paulatim, ultimo gradu picturæ persimilia se præberent.

Quam quidem sententiam multi inopinatam potius quam veram putabunt, atque eam saltem quam periculose sculptores sequerentur. Unum esse regnum sculptoris, alterum pictoris dicent, nec prudentiæ esse sculptorem eo inducere ut prave faciat quod pictor expedite perficere possit (1). Arguemur quod sculpturam vividiorem efficere cupientes, ipso facto adulteraverimus.

---

du pavillon de Flore venait d'être mis au point. Lefuel eut peur de ce haut relief aux puissantes saillies... Malheureux, dit-il au statuaire, vous percez mon mur. » Jouin, *Coysevox*, 1683, p. 96.

(1) « Il [le bas-relief alexandrin] comprenait que, sous peine de s'anéantir soi-même, chaque genre doit rester dans les conditions qui lui sont imposées. — Courbaud, *op. cit.*, p. 391 — « l'art de sculpter et l'art de peindre ont des limites indestructibles. » C. Lévêque, *Le Spiritualisme dans l'Art*, p. 96.

Fateor quidem me istis argumentis minime turbari. Haud inutile sane videtur, forsanque necesse sit, quosdam intentam mentem in artes habere atque earum uniuscujusque vim propriam et facultates definire. Cum verò naturam uniuscujusque artis explicaverint, argumentum nullum video quo usi, artes in campos redigi jubeant inter se obsæptos. Num musicæ numeri poesim modis prohibent? Sculptura cum globosas amet formas, num structori toris abstinendum erit? Quod vivida sit pictura, num vivida esse sculptura vetabitur? Picturæ colores relinquere sculptura cogetur, atque, ideo quod picturæ personas prospectu longinquo distantes inducere fas sit, jure eodem sculpturæ abstinendum?

Nemo dicere poterit cur animadversione dignior sit qui abscedentia plana superficie commemoret quam qui sinuata.

Revera omnes artes naturam rerum reddere conantur; variis artificiis quidem ad propositum suum tendunt, jus vero nulli artificium peculiare sibi unice servare.

Fuere et sculptores qui crusta picturam quamdam imitari tentavere. Qualis fuit Etex qui *Medusæ ratem* in monumento Géricault, *Apotheosimque Homeri*, in Ingres monumento ex ære simulavit. Quotidie, opifices qui sigilla sacra vendunt, crustis Lionardo di Vinci *Cenam* imitantur. Hos certe non dico industriam suam opportune exercere. Attamen, imitatione illa laudabile quid conati sunt, artisque transmutatio non indigna est quæ nos detineat.

Non tamen qui anaglypta specie picturæ similia facit, materia tantummodo et fabricatione a pictore discrepat. Etiam cum ad picturam vel maxime appropinquat sculptura, sua utitur exprimendi ratione (1). Plasticen curans,

(1) « La sculpture n'a pas à son service, comme la peinture, la ressource des effets qui éloignent les personnages à volonté. Si vous creusez le champ d'un bas-relief pour en multiplier les plans, les

rem fingendam propria ratione concipit, quippe quæ in disponendis et æquilibrandis personis intentior et severior esse debeat.

Non ideo timendum est, ne quid juri pictoris sculptor deroget, nec quidquam impedit quin, omnibus datis facultatibus usus, vividas crustas liberrime fingat.

---

figures placées au troisième plan, par exemple, recevront malgré vous l'ombre portée des figures sculptées au premier et vous n'atteindrez le plus souvent qu'à la confusion. *Cependant, les personnages étant traités par méplats, il est arrivé que certains artistes ont pu produire des bas-reliefs remarquables avec une certaine profondeur.* » David Andegavus in Jouin, *David d'Angers*, t. II, p. 68.

EPILOGUS

Nobis propositum fuit demonstrare sculptorem majore libertate frui quam vulgo putatur, atque illi fas esse vivida signa nullo ferme impedimento fingere. Redarguere voluimus errores quibus inflati plerique veros sculptores fastidio transeunt, totam ætatem, ut duodevicesimum sæculum, nullos habuisse sculptores contendunt, artificesque nostros timidos esse volunt.

Sculptores vero cum jusserimus audaces esse, vitamque et sensus describere, illos a proposito artis suæ deterrere nos ne quis existimet. Ab isto crimine nos purgant exempla passim prolata (1), purgare et posset memoria David Andegavi, Rude et Carpeaux, qui profecto sculptores nostris temporibus in Gallia ceteris præstiterunt.

Nati sunt Rude et David Andegavus tempore quo omnibus in artibus plasticen solam affectabant, quo sculptores, despectis Houdon, Pigalle, Caffieri, Clodion, opera fingebant, Bosio et Canova ducibus, frigida quidem, sed, ut dicebant, doctissima. Scientiam majorum adep-

---

(1) « Il ne serait pas difficile de prouver, par d'éclatants exemples, que lorsque la sculpture moderne a conquis l'admiration, c'est qu'elle s'est rapprochée de la peinture en lui empruntant, sciemment ou non, quelques-uns de ses plus puissants moyens d'expression et en se relâchant plus ou moins du culte de la pure beauté plastique. » C. Lévêque, *Le Spiritualisme dans l'Art*, 3e *Etude*, p. 97.

tis, non satis illis visum est mirandos toros, formasque quam purissimas atque ad perfectionem ultimam expressas oculis prætendere. David Andegavus æqualium suorum effigies posteris tradere sibi proposuit, qualesque fuissent ex ore ad æternum commemorare ; Rude, sententiis Emerici Duval adductus, vitam marmori infundere conatus est.

Plurimis alter operibus, paucissimis sed perfectissimis alter, consilium suum exsecutus est. Ratione autem dissimili inceptum simile implevere.

David Andegavus, etsi scientia nemini impar, ut *Philopœmen* testis est, tamen ardore quodam immoderato elatus, sæpius formæ curam omisit, spe vana animum plenius describendi.

Caput Gœthe quod cælo formavit, erroris illius documentum mirum est, in quo, nunc, nec formam, cum deforme sit, nec sensuum descriptionem, cum portentosum, probare possumus. In his quæ, fervido ingenio, quam felicissime perfecit, nunquam non invenitur aliquid quod forma peccet. Quam ob causam, gloria ornatur maxima, tamen non eodem hodie rumore illum prosequimur quo primum exceptus est.

Contra nos igitur eum producere possent qui gravem sculptoribus sensuum curam credunt, nisi, cum a forma discederet, itidem sensuum descriptionem torsisset, alii autem, ut Rude, ut Carpeaux, cum forma sensus perfectissime sociavissent.

Rude vitam sensuumque descriptionem, non proculcatis sculpturæ legibus, sed penitus cognitis et observatis, reddere conatus est. Illi apparuit librandi rationem scientiam esse præcipuam qua sculptor præstigias vere efficere posset. Quam summa industria didicit legesque simplices et potentissimas concepit, quibus usus artifex motu quolibet signa moveret.

Cum *Mercurium*, *Marescalcum Ney* vel symplegma in honorem Massiliensis Pæanis suspicimus, eo magis lau-

dare illa debemus, quod non felici casu, sed scientia et artis calliditate perfecta sint. Non esset cur quidquam in iis vituperaremus, nisi doctrina quam juvenis in schola didicerat usque ad finem vitæ oppressus, semper in fingendis toris timidus fuisset, pravasque, quas *academicas* gallice dicunt, consuetudines ad extremum servasset.

Venit denique tertius Carpeaux qui, cum ingenio nihilo majore fuerit, majorum vero experientia eruditus, liberiorem se præbuit omnique vinculo solutum. Quis, *Quatuor mundi partes* ad fontem in horto Luxembourg positum spectans, quis, præcipue, *Floram* in ædibus Tuileries et *Chorum* ad theatrum Opera miratus, sculptorem vitam plane imitari negaverit? Nulla in illis forma doctrinam propter academicam delineata fuit, in his omnibus vero sanguine vera corpora fervere credas, miranda pariter cæli arte et veritate.

Nullum fere invenias hodie qui Rude vel Carpeaux ingenio eximio viguisse dubitet. Non tamen hos vulgus semper justo favore prosecutus est. Rude Academia Artium nunquam in se cooptare voluit. Neminem fugit quam odiose et turpiter *Chorum* Carpeaux vexaverit invidia. Latravere detrectatores Carpeaux leges et artis et morum perrupisse. Ridiculo judicio illos et malo animo fuisse omnes nunc consentiunt.

Haud alia ratione, sententiæ quibus innixi David vel Winckelmann sculptores duodevicesimi sæculi vituperabant paulatim deseruntur; qui, longa per sæcula, Medii Ævi sculptores contempti erant laudibus nunc efferuntur. Moriuntur leges, manent vere perfecta opera.

Itaque, cum quæreremus quæ esset sculptoris in fingendis typis vividis facultas, terminos illi nullos imponi voluimus.

Audentes fortuna juvabit, tantumque abest ut illos a vitæ descriptione deterreamus ut verba ad finem hujusce opusculi commemoremus maximi sculptorum Michel-

Angelo, quibus sculptori integram libertatem dare voluerit :

> Non ha l'ottimo artista alcun concetto
> Ch'un marmo solo in se non circonscriva
> Col suo coverchio, e solo a quello arriva
> La man che obbedisce all' intelletto (1).

(1) *Sonneto* I. — Dixit David Andegavus : « La statuaire donne la réalité tout entière. » In Jouin, *David d'Angers*, t. II, p. 8.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
a. d. VII Id. jun. MDCD

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus.

A. CROISET.

Typis mandetur,
Academiæ parisiensis rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

DIJON, IMPRIMERIE DARANTIERE